COLLEGII GERMANICI ET HUNGARICI HISTORIA

LIBRIS IV. COMPREHENSA

AUCTORE

JULIO CORDARA

SOCIETATIS JESU

ACCEDIT

CATALOGUS VIRORUM ILLUSTRIUM

QUI EX HOC COLLEGIO PRODIERUNT.

ROMÆ MDCCLXX.

TYPIS JOANNIS GENEROSI SALOMONI

PRÆSIDUM FACULTATE.

CHRISTOPHORO
M I G A Z Z I O
S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

Viennenſi Archiepiſcopo, Vacienſis Eccleſiæ Adminiſtratori, inſignis Ordinis Sancti Stephani Regis Apoſtolici Magnæ Crucis Equiti, S. R. I. Principi.

JULIUS CORDARA SOC. JESU.

COLLEGII Germanici Hungaricique Hiſtoriam a ſuis initiis ſcribendam cum ſuſcepiſſem, vix ad opus agreſſum res ipſa me admonuit, non alteri quam uni alicui e S. R. E. Cardinalibus inſcribendam dedicandamque eſſe. Videbam enim, tametſi Collegium hoc Pontifex Julius III. inſtituerit,

B. P. Ignatius labore induſtriaque ſua condiderit, primum tamen ſuaſorem ejus atque architectum Joannem Moronum Cardinalem fuiſſe, in idem Cardinales cæteros ſumma voluntate conſenſiſſe, potiſſimas demum in eo moliendo conficiendoque Cardinalium partes fuiſſe, qui non auctoritatem modo, curas, atque conſilia, ſed opes etiam in id ſuas pecuniamque contulerint: Ut mihi quidem videantur in hoc uno opere Cardinales ſplendidum quoddam atque immortale monumentum reliquiſſe, cum pietatis ſuæ, tum etiam liberalitatis, ac præcipuæ in gentem Germanicam benevolentiæ, cui nullum poſſit par meritum inveniri. Videbam deinde, cum labaret ex cenſus tenuitate Collegium, ei Cardinalem Bellajum in primis, tum cæteros Cardinales de ſuo liberaliter ſubveniſſe ne penitus interiret. Ad hæc, hortatu maxime ſtudioque Othonis Cardinalis de Truchſes Epiſcopi Auguſtani Gregorium XIII. ad opus inſtaurandum, ac velut ex integro extruendum animum appuliſſe, in idemque Cardinales alios incredibili aſſenſu conſpiraſſe: Ut rurſum Apoſtolici Senatus auctoritate confectum id opus videri dicique poſſit. Poſtea vero quam Gregorius, Pontifex ille Orbi univerſo ſemper cum honore, nobis etiam cum eximio grati animi ſenſu memorandus, ſuam nutanti Collegio firmitatem, ſede certa ac juſtis vectigalibus attributis, attulit, eique Alumnos Hun-

Hungaricæ nationis adjunxit, quantâ ſedulitate ac vigilantia Cardinales illi ſex, quorum in tutela ac poteſtate Collegium eſt, curam ejus geſſerint, reſque ejus omnes ad hanc uſque diem tueri, provehere, amplificare ſtuduerint, & videbam ipſe, & nemo eſt tam rudis omnium rerum qui neſciat. Ob eas ergo res minime ambigendum mihi fuit, ne Collegii hujus hiſtoria, qualiſcunque ea eſſet, uni cuidam deberetur ex eo ordine, cui & originem ſuam, & progreſſus, & dignitatem, ac pene ſe totum Collegium ipſum deberet; Cumque Patroni ſeni e Cardinalibus ei ſint, unum ſaltem ex eodem cœtu huic operi quærendum ſtatuebam. Sed neque diu conſultandum mihi fuit quem præ cunctis eligerem. Circumſpicienti ſtatim in oculos incurriſti, Princeps Eminentissime, multæque ſimul objecere ſe cauſæ, nec leves, quamobrem præter Te quærerem neminem. Primo enim Te, non ſolum in præcelſo iſto Cardinalium ordine collocatum conſpiciebam, ſed in hoc Collegio educatum, hic pietate boniſque artibus informatum, hinc denique in tantam iſtam amplitudinem provectum ſciebam. Et memineram, cum hoſce inter Alumnos florentiſſima ætate ac forma verſarere, adeo Te ſupra æquales ingenio, integritate, modeſtia, omnibuſque doctrinæ experimentis excellere, ut jam tum videreris ad iſtud honoris faſtigium incitato curſu con-

contendere, proludereque quodammodo virtutis magnitudine futuræ fortunæ. Atque inde conficiebam, cujus olim contubernii pars adeo ſpectanda fuiſſes, nunc decus primum atque ornamentum eſſes, ejus quoque a Te protegi illuſtrarique præfixo nomine hiſtoriam oportere. Cum deinde viderem Te, non Viennenſi tantum Infula inſignitum, ſed Vacienſi etiam Eccleſiæ Adminiſtratorem impoſitum, proindeque tum in Germania, tum etiam in Hungaria honore inſigni ac poteſtate præfulgidum, reſpiceremque ad Collegii hujus promiſcuam Juventutem, id taciti a me poſcere videbantur Germani pariter Hungarique Alumni, ut hos de communi re commentarios uni Tibi inſcriptos ac conſecratos vellem. Quorum ego ut mentem interpretabar, ita æquiſſimæ cupiditati ſatis mihi faciendum exiſtimavi. Jam ſi privatas rationes, quæ me in idem conſilii impulerunt, exequi velim, quid illis juſtius? Quid officio magis conſentaneum? Meminiſti credo, CARDINALIS OPTIME, cum hoc in Collegio degeres, in eodem quoque me habitaſſe, teſtem ſcilicet admiratoremque ſtudiorum tuorum, ex eoque tempore nonnullam me gratiam, ut ſe dabat occaſio, apud Te iniiſſe. Certe meminiſſe es viſus, cum reverſus poſt aliquot annos Romam, atque in ampliſſimum XIIvirale Collegium, quod Sacram Rotam appellant, cooptatus, has Profeſſorum ædes ſacro-

rum

rum causa frequentabas. Quam sæpe tunc, quam humaniter meum in cubiculum Te intulisti! Quoties ego Te variis de rebus scienter atque erudite differentem sum admiratus! Ut delectabar familiari sermone, quo me cupidissime audientem identidem detinebas! Post illud tempus, nec memoriam humanitatis erga me tuæ unquam abjeci, nec Tibi, absenti licet, ac longo terrarum intervallo summoto, bene precari, ac fausta omnia ominari unquam destiti. Itaque magno lætabar opere cum audirem, Te ab Augusta in intimum gratiæ locum esse receptum, Tibi legationes, Tibi graviora Reipublicæ negotia pertractanda committi, Teque in his summam fidem, integritatem, solertiamque præstare. Crebris deinde nunciis ac litteris cum audirem de honoribus multis & maximis, qui Tibi alii ex aliis deferebantur, jamque Te Mechliniensis Archiepiscopi Coadjutorem designatum, & Carthaginensis Ecclesiæ titulo Archiepiscopum consecratum, jam ad Archiepiscopatum Viennensem traductum, alias Vaciensis Ecclesiæ administratione auctum, alias Ordinis S. Stephani Regis Apostolici Cruce magna insignitum fama nunciaret, non lætabar modo, sed placebam vehementer mihi, quod tanto antea de Te omnia summa animo præcepissem, ac sæpe inter amicos haud vanus vates prænunciassem. Cum vero ad honoris cumulum Romana donatum purpura,

pura, atque inter summos Ecclesiæ Principes adlectum accepi, & collucentes ob eam rem festivas in Urbe faces aspexi, tantam cepi animo voluptatem, ut proxime abfuerit quin Tecum ea de re per litteras gratularer. Ac plane faciebam, nisi Virum talem, gravissimis Reipublicæ curis occupatum interpellare nefas duxissem. Abstinui tunc quidem officio, ne importune facerem. At nunc, cum occasio se dederit hujus operis evulgandi, erit ne quisquam qui miretur me sub Tuo nomine ac patrocinio id factum voluisse? Non immo prudens quisque laudabit consilium meum, qui ansam arripuerim ad meos de Te sensus plenos venerationis & observantiæ publice profitendos? Adde ad extremum his, ejusmodi esse res quæ hoc opere continentur, ut, quo demum cunque modo scriptæ expositæque sint, Tibi placituras sumere pro certo possim. Nam, ut omittam jucundum unicuique esse quæ adolescens viderit gesseritve, ea provectiore ætate memoria repetere, ac scripto consignata percurrere, agitur hic de Collegio, ut probe scis, ad Religionis incrementum ac decus unice nato factoque, quod Alumnorum & genere & numero florentissimum semper fuit, ac porro est, quodque dum stabit incolume, tamdiu staturam in Germania Hungariaque Catholicæ pietatis fidem opinari fas est. Multi recensentur educti ex hac virtutis palæstra Viri fortes ac stre-

ſtrenui, quorum alii voce, alii calamo, alii etiam ſanguine pro ſacrorum fide fortiter decertarunt. Multi itidem opibus ac dignitate prævalidi, qui auctoritate ac potentia, aut gliſcentem hæreſim compreſſerunt, aut collapſam alicubi diſciplinam veterumque cæremoniarum ſplendorem reſtituerunt. His Tu vero rebus, quæ adeo Catholicæ interſunt rei, poteris non magnopere delectari? Tu inquam, Antiſtes idem ſacrorum & Eccleſiæ Princeps, eodem atque illi convictu uſus, iiſdem legibus ac diſciplina inſtitutus, cui ſemper divina Religio ante oculos, cui Eccleſiæ dignitas longe rerum omnium antiquiſſima, quem denique ſcimus in iſta Romani Imperii Sede ita verſari, ut nulli neque optimi Paſtoris, neque Eccleſiaſtici Principis officio deſis? Equidem futurum ſpero ut hæc, non libenter ſolum accipias, ſed cum aliqua etiam, ſi non voluptate, certe aviditate perlegas. Quam ſpem confirmat atque auget, quod ſciam eamdem conſtare Tibi in ſumma dignitate facilitatem ingenii ac comitatem, qua in privata fortuna omnium Tibi animos devinciebas, idque eſſe in maximis tuis laudibus, vulgo rarum, quod honorum acceſſione nihil immutati ſint mores. Quo fit ut dubitare vix poſſim, quin pro veteri tua erga me humanitate, opus hoc meum ſis accepturus benevole, atque etiam cupide perlecturus. Hac itaque præſumpta ſpe, non ego cun-

ctanter ac timide , ſed plane fidenter ac libere, quidquid id eſt , Tibi EMINENTISSIME PRINCEPS offero, dono, dicoque. Atque illud modo unum rogo obteſtorque Te, ut cum munus acceperis, animum quoque, ex quo proficiſcitur, obſervantiſſimum Tui reſpicias, ac gratum habeas.

AD LECTOREM.

JAM inde cum in Collegio Germanico Hungarico junior versarer, meamque Alumnis operam in Philosophicis, ut loquimur, repetitionibus præstarem, mirabar quid esset quod cum Collegii hujus decora tam multæ Virorum illustrium parietibus affixæ imagines loquerentur, nulla tamen extaret Historia, quæ eadem ad notitiam gentium exterarum, & ad consequentium ætatum memoriam transmitteret. Cumque ex antiquioribus Patrum multa subinde audirem de Collegii ejusdem initiis progressibusque sane præclara, multa egomet de exquisita Alumnorum institutione meis oculis cernerem, dolebam res tales ac tantas domi abditas contineri, ignotas exteris, apud posteros in oblivione futuras. Quare, ut eram jam tum istiusmodi rerum paulo cupidior, inquirere curiosius cœpi si qua existerent prisci temporis monumenta, ex quibus confici posset Historia, si non magni ad Rempublicam momenti (talem enim non cogitabam), at rerum magnitudine & varietate digna quæ veniret in manus hominum, legique sine fastidio, cum aliqua etiam utilitate posset. Et facta mihi domestici Tabularii scrutandi potestate, tam multa reperi litteris consignata, ut magis obrueret me rerum copia, quam deficere ullo modo posset. Itaque chartas prope innumerabiles, vetustate corrosas, cum cura, nec sine labore pervolutans, & quæ scitu digniora videbantur excerpens, referensque in commentarios, amplam, at rudem & tumultuariam historiæ materiam mihi sepofui, eandem cum esset otium expoliturus, & in publicum suo tempore emissurus. At, quæ meæ vitæ rationes fuere, tanto temporis intervallo

nunquam tantum otii sum nactus, quanto opus erat ad rem uti proposueram perficiendam. Quin ad alia Majorum imperio traductus, jam nullam ultra ea de re cogitationem sumebam, ac ne memineram quidem esse in meis adversariis quæ de Collegio Germanico Hungarico tanto olim studio collegeram, haud dubie una mecum peritura, nisi eorum memoriam nuper casus plane insolens refricuisset. Josephus scilicet Imperator advectus ex insperato Romam, invisere cum cœpisset celebratiora Urbis loca, atque inter prima hoc obnoxiæ sibi Juventutis domicilium adiisset, in eo longe & diutius & familiarius quam uspiam alibi commoratus, de rebus institutisque ejus edoceri voluit adeo diligenter, plane ut videretur ex omnibus rebus, quas Urbe tota conspiceret, hanc maxime cordi habere. Quæ res, utpote Collegio ipsi summe decora, cum multorum sermonibus prædicaretur, tum ego redii in memoriam operis, quod jampridem animo & cogitatione conceperam, atque hanc occasionem meam ratus, quæ junior rudi opere præparaveram scripta, eadem expolire senior evulgareque constitui, tum ut oculis Cæsaris subjiceretur Collegii, in quod se adeo propensum ferebat, imago quædam atque descriptio omnibus numeris absoluta, tum quod non indignas publico conspectu eas existimavi res, quarum cognoscendarum se adeo cupidum talis ac tantus Princeps præbuisset. Ad opus itaque aggressus, ut erat ad manus rerum ampla seges, nec de delectu laborandum mihi erat, celeritate usus, facile Historiam alioqui operosam ad exitum perduxi. Facile inquam, ac quam citissime: an satis feliciter, nescio. Quod non eo dico ut excusem minus commode scienterque dicta, quæ fortasse multa Lector invenies, sed ut antevertam judicium tuum, teque Judicem habeam paulo æquiorem. Cæterum opus ipsum divisi in libros qua-

tuor. Primus est de prima institutione Collegii Germanici sub Julio III., ejusque progressu usque ad Gregorium XIII. Secundus de Collegii ejusdem instauratione, & Hungarici adjunctione per Gregorium facta. Quo loco quædam de primo atque optimo ejus Rectore Michaele Lauretano adjicienda censui. Tertius exhibet specimen quoddam rerum per Alumnos gestarum in Germania usque ad Gregorii obitum. Quartus denique præsentem Collegii statum exponit. Quod interjacet spatium inter Gregorii mortem, & hanc nostram ætatem, vacuum reliqui, tum quod deerant monumenta rerum, tum quod plus nimio, ac multo supra præfinitum modum excrevisset opus, si omnia quæ hoc medio tempore acta sunt persequi voluissem. Eamdem ob causam, cum haberem in animo tot virorum illustrium, qui ex Collegii hujus disciplina prodierunt, vitas summatim scribere, atque huic volumini interserere, quamquam hujus quoque argumenti materiam habebam ex magna parte congestam, id tamen omittendum statui in præsens, magisque in volumen alterum, quod, si vita suppeditabit, aliquando sum editurus, rejiciendum, eo nunc contentus, ut singulorum nomina ad operis hujus calcem tanquam appendicem attexerem. Porro in hoc Indice conficiendo Convictores, qui ex omni gente olim in Collegium recipiebantur, propriam in classem contraxi, ac primo loco posui, tum quod Alumnis nunquam permixti, nec fere nisi tecto aliquandiu conjuncti fuere, tum quod eorum nulla sit mentio in Historia nisi libro primo, ut vix ad hoc Collegium pertinere videantur. Germanos contra Hungarosque Alumnos unico contextu complexus sum, quippe ex Gregorii præscripto in unum Collegii corpus conjunctos, nullaque admodum re ex vitæ instituto diversos. Quæ itidem causa fuit, ut non alium in iis recensendis mihi ordinem

pro-

proposuerim quam temporis, quo quisque in Collegium fuit receptus. Quia tamen non iisdem omnes, sed alii aliis ornamentis claruere, idcirco totam Catalogi seriem plures in classes partiri placuit. In colligendis singulorum nominibus, excutiendisque ob eam rem domesticis monumentis, labori non est parcitum. Qua in re, ut dicam quod est, adjutorem habui hominem in primis navum ac diligentem, cujus est effectum sagacitate & industria ut multo plures quam ego opinabar illustres Viri hoc loco producantur in lucem. Inde etiam factum, quod vix credas, ut plus temporis Catalogi hujus confectio tenuerit quam totius Historiæ. Si quis ergo casu est prætermissus, qui huic indici inscribendus videretur, aut quis alius error obrepsit, id nemo indiligentiæ tribuat, nemo in malam partem accipiat, sed potius admoneat nos, auctiorem correctioremque Catalogum, si opus fuerit, perlibenter daturos. Tu interim, amice Lector, fruere hoc qualicunque meo labore; & sicubi videbor tibi leviora ac frivola consectari, scito nullas parvas esse res, quæ ad cultum Divini Numinis spectant, nihilque esse tam frivolum, quo non uti in rem tuam, si sapis, possis.

LAU-

LAURENTIUS RICCI

Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUM librum cui titulus = *Historia Collegii Germanici*, & *Hungarici* = a Patre Julio Cæsare Cordara Societatis Jesu conscripta, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus ut typis mandetur, si iis ad quos spectat ita videbitur. Cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ die 17. Januarii 1770.

Laurentius Ricci.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D. Jordanus Patr. Antioch. Vicesg.

APPROBATIO.

JUssu Reverendissimi P. Fr. Thomæ Augustini Ricchini Sac. Pal. Apost. Magistri, serio attentoque animo perlegi librum inscriptum: *Historia Collegii Germanici, & Hungarici, Auctore P. Julio Cordara S. J.* Cumque non modo nihil mihi occurrerit, quod orthodoxæ fidei, probisque moribus adversetur, verum etiam juxta sanioris critices leges, ac maxima elegantia, uti Auctorem jam aliis Operibus clarum decebat, plurimoque propterea litterariæ Reipublicæ bono elaboratum repererim, dignum sane illum censeo, ut pro communi utilitate publica luce fruatur.

Datum Romæ in Conventu S. Mariæ super Minervam, die 3. Martii ann. 1770.

F. Dominicus Maria Justiniani Ord. Prædicator. S. Theol. Mag., & Casanaten. Bibliothecarius.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicator. Sac. Pal. Apost. Mag.

LIBER



LIBER PRIMUS

PRIMA COLLEGII INSTITUTIO
SUB JULIO III. PONTIFICE
EJUSQUE PROGRESSUS
USQUE AD GREGORIUM XIII.

QUO tempore Martinus Lutherus in Germania, omni jam abjecto seu pudore seu metu, omnia Sacrorum jura turbabat, nec jam dissimulata fraude, sed aperta rebellione contra Romanam Ecclesiam Romanumque Pontificem ad arma conclamabat, innumerabilesque ex ea gente mortales, vel errore deceptos, vel solutioris vitæ illecebra inescatos, in partes trahebat, Romæ angebatur vehementer Ignatius de Loyola tanta nobilissimæ gentis clade, reputabatque animo secum si qua posset furentis impetum remorari, & gliscenti malo præsens remedium adhibere. Quamquam enim omne genus hominum, ac totum adeo Orbem terrarum Sanctissimus Vir charitate complectebatur, Germaniam tamen præcipue cordi habebat, provinciam scilicet, non amplissimam solum, atque ab opibus, nobilitate, potentia spectatissimam, sed, quod præsentium rerum magis intererat, vicinam, ex qua videlicet brevis in Ita-

I. S.Ignatii curæ de Germania, Luthero contra Ecclesiam debacchante.

liam esset trajectus, ut facile Italicas quoque urbes corripere

2. Præter suorum operam aliud quidpiam excogitat ad salutem Germaniæ.

Lutherana contagio, atque ipsam pestilenti halitu Romam afflare, nisi in tempore arceretur, posset. Et ipse quidem condiderat jam, ac rite constabiliverat suum Ordinem, qui Societas Jesu est appellatus, miseratque confestim in Germaniam e suis aliquot doctrina probitateque præstantes Viros, qui adversus Lutherum factionemque ejus fortiter decertarent; Quibus strenue, nec improspere rem gerentibus, eorum successibus magnopere lætabatur. At nimis pauci pro rerum gerendarum magnitudine illi erant, & plures ne subsidio mitteret paucitas Sociorum vetabat, cum præsertim aliis quoque ex utroque Orbe plagis, Societatis vixdum natæ operam deposcentibus, succurrendum esset. Quantumvis deinde multos mitteret, homines exteros, Pontificis maximi totos, eique sacratiore quodam obedientiæ vinculo obligatos, minus aptos ad rem gerendam putabat.

3. Lutheri calumniæ contra Pontificem, & Urbem Romam.

Nam Lutherus, rebus novandis intentus, satis sciens, ubi vetus Christianæ Reipublicæ forma sub uno maximo ac summo Rectore consistat, ibi haud facilem novis opinionibus aditum inveniri, ferocem animum exstimulante etiam ultionis repetendæ cupidine, quod Romæ plus tribui alteri cuidam Cœnobitarum familiæ quam suæ cerneret, contra Pontificem maximum, totamque adeo Pontificiam aulam debacchabatur majorem in modum, atque id modo unum agebat ut Romani Pontificatus nomen apud Germanos contemptui atque odio esset. Pontificis proinde regnum immite, tyrannicum, Principibus ob superbiam intolerandum, populis ob avaritiam calamitosum appellabat. Inanem monstrosamque potestatem ejus dicebat, non lege ulla, non religione firmam, sed unice Sacerdotum fraudibus, Regum ignavia, nationum vecordia, cervicibus mortalium impositam. Romam vitiorum omnium sentinam vocitabat, illud passim vociferari solitus, venalem urbem, venalem aulam esse: Romæ

mæ dibapha atque infulas inter immunditiam volutari, facra juxta ac profana pretio divendi, totum dominationis arbitrium in pecunia effe. Quibus impudenter nec vere dictis, quamquam omnem abrogare fidem debebat ipfa temulenti blateronis improbitas, quem præfertim conftaret exulcerato effe animo, nec nifi ex impotenti iracundia in has voces erumpere, eo tamen proniores præbebantur aures, quod ipfa re nonnullæ inoleverant fanctæ Civitati labes probrofæ; Et tametfi fublatæ nuper ex maxima parte fuerant fanctiffimis Pauli iij. decretis & legibus, nondum tamen obliterata earum erat infamia, & multo etiam fupra verum, ut affolet, augebantur. Atque hinc impio Buccinatori illa vulgo laus, ac popularis acclamatio, vere eum fenefcentis Ecclefiæ Reformatorem effe, de Cœlo miffum, atque his prorfus temporibus miffum, ut Chrifti doctrinam multis partibus inquinatam repurgaret, Chriftianam plebem Pontificum Romanorum impotenti dominatu eximeret, fuam denique Ecclefiæ dignitatem ac fpeciem, tot deterfis fordibus, reftitueret. Quæ & latius fpargebantur in dies, & ubi femel infederant, vix ullam fpem reliquam rerum meliorum faciebant. Jam ergo demendas has ex Germanorum mentibus opiniones præjudicatas Ignatius judicabat, & fruftra fore quæ ad Religionem fuftentandam fufciperentur, nifi rurfum apud eam gentem Romani Pontificis dignitas fuam vim, & honorem debitum obtineret. Id vero per fuos, numero paucos, plerofque alienigenas, omnes Pontifici maximo tam arcto, ut dictum eft, vinculo obftrictos, eoque fufpectos, minus commode fieri arbitrabatur poffe. Aliud quidpiam facto opus effe, quod magis ex ufu rerum præfentium effet, rebatur. Id tamen quale effet nondum ftatuebat, nifi quod rudem aliquam Collegii Germanici formam fecum tacitus volutabat. Quid enim, ajebat, fi exftaret in Urbe domicilium Germanicæ Juventutis,

4. Suos minus aptos Ignatius putat ad fuftinendam Pontificis dignitatem, & quare.

5. Quamdam Collegii Germanici imaginem fibi cogitatione fingit.

atque hic delecti ex ea gente Juvenes in ſpem Religionis, velut in plantario, ſuccreſcerent? hic pietate boniſque artibus imbuerentur? hic doctrinam incorruptam ex ipſo fonte haurirent? hic ſacrorum ritus, cæremoniaſque caſtiſſimas, ex Eccleſiæ omnium matris & magiſtræ more inſtitutiſque condiſcerent? hinc denique diſciplinis optimis inſtituti, ac Sacerdotio initiati, in patriam remitterentur? Id enimvero ex uſu Catholicæ pietatis futurum quam maxime. Hac enim perpetuo ſuboleſcente Sacerdotum optimorum copia, nunquam defuturos in Germania Parochos, Concionatores, Præceptoreſque idoneos, qui & exemplo vitæ pie caſteque traductæ populo prælucerent, & rudem plebem erudirent, errantem in orbitam reducerent, doctrinæque præſidiis hæreticorum inſaniam redarguerent, audaciam temeritatemque refringerent. Eoſdem haud dubie magnam Pontificis maximi ſpeciem, magnam reverentiam una ſecum in patriam importaturos. Nec enim dubitandum, quin cujus liberalitate alti diu ſuſtentatique fuerint, cujus beneficentiam tanto ſuo commodo ſint experti, quem etiam interdum ſacris operantem, & plus prope quam humana majeſtate fulgentem viderint, cujus denique in Chriſtiana Republica adminiſtranda vigilantiam, æquitatem, moderationem, ſapientiam ſuis ipſi oculis introſpexerint, ejus auctoritatem & ſequantur ipſi, & apud ſuos pro viribus tueantur. Hos quidem certe e populo Sacerdotes, nulli inſcriptos Religioſorum ordini, indigenas, morum & linguæ gnaros, in communi patria, apud populares ſuos, plus auctoritatis & fidei habituros quam extraneos, & quantum uſquam hominum Religioſorum eſt. De Urbe, de Aula, de Procerum ac Populi Romani vitiis & corruptelis quid tandem ad ſuos relaturos, quod non ubique locorum ferendum dolendumque ſit? Nam ſi quæ ſuperſunt Romæ labes vitiorum, non eas Urbis proprias, ſed humanæ naturæ ingenitas, communeſ-

munesque hominum genti esse. Et quæ demum cunque Romæ sint, eas tanta virtutum magnitudine tegi compensarique, quantam nullibi usquam invenias. Non alia immo via commodius eas deleri maculas posse, quas per calumniam Romano insusserit nomini Hæreticorum livor, quam si videant homines, Romam vitia sua non abdere, hostium censuram non formidare; tanta quin immo virtutis conscientia niti, ut admittat, foveatque in sinu morum suorum testes sempiternos. His rerum secundarum imaginibus dolori blandiebatur suo B. Pater, intereaque rudimentum quoddam Collegii, quale postea conditum est, sibi, ut diximus, adumbrabat, ignarus id ipsum sibi divino consilio & inchoandum, & perficiendum esse. Aderat tum Romæ Joannes Moronus Cardinalis, doctus & experiens Vir, qui hiantia Germaniæ vulnera nuper aspexerat, Pontificis legatione perfunctus, & de remedio dies noctesque cogitabat. Is Ignatium, & instituta ejus magni faciebat. Eum vicissim amabat colebatque impense Ignatius, tum propter opinionem virtutis, tum quod suis in Germania desudantibus mire benevolum se præstiterat, Petro præsertim Fabro, quem in intimum gratiæ locum receperat, atque ut vere Sanctum locis omnibus deprædicabat. Evenit forte ut hi duo summi Viri de malis Germaniæ sermonem inter se haberent, quibus cum videretur Ignatius plurimum commoveri: Atqui, ait Moronus, si quid ego video, his mederi nemo præter te commodius potest. Mirante quid ita esset Ignatio, tum ille: Multa quidem utiliter præstitere hactenus tui in Germania sodales; multa præstant etiam nunc, præstabuntque, ut augurari licet, in posterum. Unum est tamen momenti gravioris, tibi hac ipsa in Urbe præstandum, quod nisi fiat, cætera parum profutura pro certo habeas velim. Quo loco longum sermonem exorsus: Non ignoras, inquit, mi Pater, Lutheri omnes impetus contra Romam, Romanumque Pontificem

6. Joannes Moronus Cardinalis Ignatium adhortatur ad Collegium extruendum.

ficem esse directos, cujus semel dejecta auctoritate, unitatem quoque Ecclesiæ scindi necesse est. Facit nempe quod ante eum omnes novorum dogmatum satores factitasse constat, atque eo quidem ad illudendum efficacius, quod iniquis consiliis homo vafer speciem honestam prætendit Ecclesiæ reformandæ, & in primævum statum restituendæ. Obnitendum ergo contra, magnoque opere contendendum ne improbi Veteratoris artes, quæ ad dissociandam ab Apostolica Sede Germaniam unice spectant, successum habeant. Nihil in id præsentius video, quam si Sacerdotes pro Germania multi formentur Romæ, atque ita quidem ut delecti ad Sacerdotium ex ea gente Juvenes hic sanam doctrinam ac pietatem hauriant, Romam Pontificemque maximum ex vero cognoscant, atque hujus amorem ac reverentiam animo combibant. Id sane ad infringendam Lutheranæ factionis potentiam, confirmandasque partium Catholicarum opes maximopere valiturum reor. Ita nimirum ego comperi, Lutheranos in Germania, non tam sua virtute, quam nostrorum Sacerdotum ignavia crescere, facile comprimendos, si minus indocti, aut paulo castigatioris exempli isti essent. Populum natura simplicem suis Pastoribus se ducendum permittere, eosque more pecudum subsequi. Horum miram esse inscitiam, vitam vitiis omnibus contaminatam; duo mala, quæ in grandibus natu viris sanari vix, aut ne vix quidem possint. Facilius certe Juvenes formari centum, quam reformari Senem unum posse. Evocandos igitur Romam delectos e Germania Juvenes censeo, hic in Collegii formulam contrahendos, pietate ac litteris imbuendos, atque ubi satis fuerint in hac virtutis palæstra exercitati, in Germaniam remittendos ad Ecclesiarum administrationem, & ministeria. Sic fore, ut redeunte sensim in Ordinem Sacerdotalem doctrina, vitæque innocentia, plebs etiam ad ejus exempla suo more se fingat, ejus se permittat arbitrio, neque admo-

admodum artes hæreticorum valeſcant. Verum, adjecit, id efficere quis alius præter te poſſit, plane non video. Ad ea Ignatius, occurrentem ſuis votis providentiam Numinis admiratus, ſimile quiddam ait ſe animo præconceptum habuiſſe, neque ambigere quin ea divinitus utrique injecta mens eſſet. Ac ſe quidem prompto eſſe animo, laborem nullum ſubterfugere. At molem ſibi imponi majorem viribus. Rem agi oppido operoſam ſumptuoſamque, & multis impeditam difficultatibus, quibus expediendis par ipſe non eſſet. Terreri demum ſe magnitudine operis, niſi ſi quis alius potentior auxilio veniret. Quod eo dicebat, non quaſi diffideret de ſucceſſu; Virum enim animi ingentis, grandia aggredi perficereque jacta in Deum fiducia ſolitum, nulla magnopere difficultas deterrebat; ſed quia vir æque prudens recte exiſtimabat, nihil temere ſuſcipiendum, ac fidendum quidem Divinæ opi, Divinoque numini permittendum inceptorum exitum, at ſimul adhibendam induſtriam, & humanis artibus connitendum ut res ad exitum deducantur. Neque non intellexit Moronus. At bono eſſet animo. Curæ ſibi fore ut Summus Pontifex, ſine cujus nutu ſuſcipi nihil poſſet, conſilium approbet, & operi manum adjutricem apponat, tum etiam ut neceſſaria pecuniarum ſubſidia ne deſint. Nec ſecus quam promiſerat fecit. Erat tum in Pontificatu Julius eo nomine III., præſtantium virorum, Ignatiique nominatim magnus æſtimator & fautor, Morono autem ita addictus, ut nihil non eſſet eo auctore atque hortatore facturus. Moronus tamen, quo certius expugnaret, adjutorem deprecatoremque adhibendum ſibi ſtatuit virum ſummæ auctoritatis, Ignatii amiciſſimum, Marcellum Cervinum Cardinalem (Sanctacrucium vocabant), qui poſtea Pontifex maximus appellatione Marcelli II. fuit. Hoc igitur in conſilii ſocietatem vocato, ſibique adjuncto, adit una cum eo Pontificem, præfatuſque de malis Germaniæ quod ſatis viſum ad

ejus

7. Ignatii prudens reſponſum ad propoſitionem Moroni.

8. Moronus, & Marcellus Cervinus Cardinales in eamdem deliberationem pertrahunt Julium Pontificem.

ejus animum permovendum, de Collegio condendo proponit. Id sibi, id illi notæ sanctimoniæ viro Ignatio de Loyola, non solum utile, sed unice in rem præsentem necessarium videri dicit. In eandem sententiam Cervinus eloquitur. Tum ambo suadere, ac porro rogare, ut miseratus Germaniæ calamitatum, opus saluberrimum confectum velit. Pontifex, qui nihil mallet quam Germaniæ periclitanti subvenire, & sua sponte in id consilii inclinaret, facile sibi persuaderi est passus quod viris talibus probari intelligebat. At quis operis sumptum faciet? inquit. Unde petendum vectigal tot capitum familiæ sustentandæ? Exhaustum bello Parmensi, aliisque temporum calamitatibus ærarium esse. Se quidem partem annui census conferre posse, totum, ut maxime velit, omnino non posse. Tum Moronus, haudquaquam dejectus animo, quod deerit, suppleri facile posse liberalitate Cardinalium. Sperare se, ea dignitate Viros, quorum præsertim multi dites splendidique sint, haud recusaturos detrahere ultro sibi quod in salutem Germaniæ conferant. Et id quidem æquissimum est, subjecit Cervinus, quando e rationibus etiam sacri Senatus sit ubique terrarum salvam ac florentem esse rem Catholicam, neque minus Cardinalium quam Pontificis maximi intersit Germaniam, Christiani gregis partem adeo spectandam, ab hac Sancta Sede, Catholicæ unitatis centro, funestam luctuosamque secessionem non facere. Plura non quæsivit Pontifex. Vos igitur, ait, videte quo animo Cardinales sint, & siquidem pronos, uti speratis, & consentientes inveneritis, nihil in me erit moræ quominus negotium conficiatur. Hæc summa colloquii, de quo statim Moronus certiorem fecit Ignatium, nempe ut piis precibus ferventius insisteret, & progressum operis sat feliciter cœpti apud Deum superosque urgeret. Post hæc duo quos dixi Cardinales, haudquaquam cun-

9. Cæteris Cardinalibus persuadent ut de suo quidpiam in id conferant.

cunctandum rati, divisis inter se partibus, Collegas adire singulos, eos quid ageretur, de quo deliberandum in proximo apud Pontificem conventu esset, docere; num rem probarent, numquid contribuere vellent, rogare. Nemo inventus, qui non consilium magnopere collaudaret, & suam in id symbolam se collaturum adpromitteret. Quod ubi satis visum est exploratum, Pontifex, vocato Patrum concilio, ingreditur in sermonem de rebus Germanicis, ac pauca de tanta Religionis clade, deque extremo quod instaret periculo pro loco ac tempore prolocutus, effari singulos jubet quid facto opus censeant, ne malum in deterius ruat. Fuit qui Cruciatæ mentionem intulit, immittendumque prisco more adversus perduelles exercitum cruce insignitum censuit. At consensu rejecta res est, quippe factu difficilis, incerti eventus, & tempori minus congruens. Aliis alia opinantibus (nam tametsi Collegii institutionem omnes probabant, alia tamen quædam vehementiora, minusque longa multis placebant), assurgens Moronus, ut meditatus ad dicendum paratusque venerat, quod de Collegio instituendo, ejusque utilitatibus mente conceperat, fusa oratione persequitur. Nec jam remediis acrioribus locum esse demonstrat, quibus crudescere magis possint vulnera, quam sanari. Tunc his utendum fuisse, cum nondum invaluerant mali vires. Nunc contra hæresim segnius quam oportuit initio compressam, longa possessione roboratam, sectatorum numero præfidentem ac viribus, ad hæc Principum multorum opibus ac patrocinio suffultam, non vi, non armis, non impetu agendum conatu irrito. Molles quærendos accessus, lato circuitu velut per cuniculos obsidendam. Sacerdotes in Germania sint probi doctique. Ex his Concionatores, Curiones, Sacrorum Antistites eligantur. Sic sperandum fore ut sensim vertantur vices, neque solum Catholici vacillantes posthac in avito cultu, & fide Pontificis maneant,

10. Pontifex rem ad Senatum refert. Moroni oratio pro Collegio.

B sed

ſed multi etiam ex iis, qui non tam animi pravitate quam ignoratione veri ad Lutherum defecerint, reſpiciant ſeſe, atque ad ſaniora conſilia ſe referant. At Sacerdotes ejuſmodi nullibi fingi melius poſſe quam Romæ, in conſpectu Pontificis, in ipſo Religionis ſinu. Quæcunque alia afferantur in medium, ſpecioſa magis quam utilia eſſe. Dicentis vocem excepit Cervinus, perrexitque in eandem ſententiam eloqui tanta copia ac gravitate verborum, ut perrogatis ad extremum ſententiis, una omnium fuerit vox, Collegium Germanicæ Juventutis quantovis pretio in Urbe excitandum. De cenſu novi Collegii placebat multis eam imponi legem Cardinalibus, ut de ſuis ſinguli opibus aſſignarent quod ſatis eſſet Alumnis ſingulis ſuſtentandis. Sed eam legem rejecit Pontifex, maluitque ut quid quiſque pro arbitrio eſſet daturus ſcripto profiteretur. Parata fuerat eum in uſum ingens charta pergamena, nominibus omnium Cardinalium hinc atque hinc ordine deſcriptis. In ſummo forma neſcio quæ hieroglyphica viſebatur, inſcripto circum lemmate *Vias tuas Domine demonſtra mihi*. Hac ergo in medium producta, calamum prior arripuit Pontifex, ac ſiquidem, ait, præire exemplo nos decet, *ad tam ſanctum, pium, & laudabile opus conferemus quolibet anno quingentos aureos*, idque ſua ipſe manu conſcripſit ſuprema in parte membranæ. Tum cæteros ſequi juſſit. Secuti ſunt Cardinales numero tres & triginta, quot tunc Romæ aderant, & ad ſuum quiſque nomen quantum pecuniæ eſſet penſitaturus adſcripſit. Subducta autem ſumma, confectum eſt, ex penſionibus univerſis coaleſcere aureos nummos ter mille ſexaginta & quinque, haud ſane ſpernendum Collegii munimen, ſi ſtabile ac fixum eſſet. Servatur etiam nunc in Collegii tabulario ipſa membrana, Romanæ erga exteros liberalitatis monumentum illuſtre, cujus ut perpetua apud Germanos memoria extet & gratia, tum etiam ut Cardinalibus plus minuſve elargitis major minorve laus

II. Decernitur Collegium Pontificis & Cardinalium ſumptu ſuſtentandum. Quid quiſque promiſerit.

laus tribuatur, eam nos cum fide descriptam ad calcem libri hujus attexendam curabimus. Confecto in hunc modum quod erat præcipuum, nec tam facile explicandum videbatur, proxima illa erat deliberatio, cui novi Collegii structura, cui regimen & administratio committeretur. Sed longa non fuit hac super re consultatio, Pontifice pariter ac Cardinalibus ad unum omnibus in Ignatium, Societatemque ejus, miro consensu conspirantibus. Ergo Ignatio ut leges novi Collegii scribat, ut deligendos in Germania deducendosque in Urbem Alumnos curet, domum aptam conducat, domesticum instrumentum provideat, Rectorem imponat, & quæ sunt hujus generis alia pro sua prudentia administret, injungitur. Quibus expediendis rebus dum ille sedulo naviterque incumbit, prodiit in lucem diploma Julii Pontificis (Bullam vocant) de Collegii Germanici institutione. Eo diplomate Pontifex causas exponebat primum multas gravesque, omnes ad Religionis pietatisque incrementum spectantes, quamobrem Germanicæ nationis Collegium in Urbe excitandum judicasset. Tum Collegium ipsum, quod bene ac fœliciter eveniret, decernebat, erigebat, constituebatque Apostolica auctoritate, & Societati Jesu in disciplinam tradebat. Cardinales Collegii Protectores designabat sex, Moronum, & Cervinum, de quibus antea diximus, tum Carpensem, Augustanum, Compostellanum, & de Puteo. His Collegii patrocinium cum amplissima potestate imponebat. Collegii bona, cujuscunque essent generis, ab omni vectigalium onere liberabat. Rectori jus tribuebat creandi Doctores ex Alumnis eos, quos, facto scientiæ periculo, eo honore dignos comperisset. Atque alia id genus statuebat, quæ cum omnia Collegio ad memoriam perjucunda, Fundatorique ejus Julio decora ab insigni munificentia sint, nos diploma ipsum suo infra loco subiiciemus. Datum id fuit prid. Kal. Septembris, anno MDLII. Quo vero latius spargere-

12. Collegii administratio Ignatio committitur, atque ejus Ordini.

13. Bulla Julii III. de Collegii Germanici Institutione.

14. Collegium Ignatius condit quam breviſſimo tempore.

geretur, typis impreſſum, ac per Germaniam circummiſſum eſt. Ignatius interea ordinandis maturandiſque rebus ex præſcripto Cardinalium intentus, in omnem partem ſe verſabat, ut opus tantæ molis quam celerrime confectum haberet. Cardinales protectores urgebat aſſidue, ut ope, auctoritate, pecunia præſto eſſent. Eorum placita in rebus dubiis exquirebat, cum iis ſua omnia conſilia communicabat. Et ſiquidem aberat tum Roma Carpenſis (hoc paſſim nomine Rodulphum Pium Cardinalem compellabant a Carpio, oppido nobili, familiæ ejus obnoxio), cum eo per litteras tranſigebat, uti demonſtrant quædam præ aliis litteræ, quarum exemplum, utpote ipſius B. Patris manu exaratum, nunc cum honore ſervatur in Sacrario D. Apollinaris. Plane actuoſus homo erat Ignatius, & ſomno detrahens quod daret negotiis tempus, brevi multa & maxima conficiebat. Scripſerat jam ad ſuos Viennam Coloniamque, ut adoleſcentes ingenuos minimum triginta, ex omni circum regione delectos, quibus ad Eccleſiæ militiam apta indoles ac prona voluntas eſſet, Romam quantocius ablegarent; qui cum proximo Octobri menſe adventuri putarentur, ne quid imparatum invenirent ſibi efficiendum ſtatuit. Principio ſcribendis novi Collegii legibus adjecit animum.

15. Leges Collegii ſcribit. Quales eæ fuerint.

Leges porro diviſit in partes tres, quarum prima ſuper delectu Juvenum recipiendorum multa præſcribebat. Secunda quid intra Collegium, tertia quid in digreſſu præſtandum Alumnis eſſet ſanciebat. Eas hoc loco exſcribere conſilium non eſt, ne narrationis contextus abrumpatur. Sed uti ab ipſo B. Patre profectas, & ſapientiæ æquitatiſque pleniſſimas, in partem libri hujus extremam reiicimus. Quamquam & in Conſtitutione Gregorii XIII., itidem ſubjungenda, legi poterunt, in quam, paucis admodum immutatis, tranſcriptæ fuerunt.

16. Domum aptam conducit, atque inſtruit.

Domum deinde in uſum Alumnorum conduxit. Et erat domus, haud magni illa

illa quidem ambitus, sed ad habitandum sat commoda, loco in primis opportuna, ad Arcum, ut tunc vocabant, Camillianum, vicum Urbis frequentissimum, cui nunc a pede marmoreo nomen est. Id potissimum domus habebat commodi, quod ab gymnasio Societatis, quo bis in diem itandum Alumnis esset, brevi spatio distabat. Namque in ædes familiæ Frangipanæ, haud ita ab æde Minervæ, translatum nuper fuerat ex Capitolii radicibus Collegium Romanum, quod postea in palatium Salviatum, nunc Pamphilium, traductum, ac demum e regione hujus, opere sumptuoso ac magnifico, quale nunc visitur, a Gregorio XIII. extructum est. Domum præterea ordinavit instruxitque sic, ut neque Sacellum, neque Bibliothecam, neque supellectilem, neque demum quidquam, quod ad vitæ usum pertineret, Alumni desiderarent. Eidem Rectorem præfecit Andream Frusium, natione Gallum, humanis divinisque litteris, ac rerum usu præstantem virum, quo aptiorem regendæ Juventuti reperit neminem. Addidit Socios spectatæ virtutis aliquot, qui Alumnorum institutioni pro sua quisque parte aliquam navarent operam. Demum & famulos e populo quosdam, & rei domesticæ curatores adjecit. At enim in scholis Collegii Romani nihil, ut tunc erat, publice tradebatur præter linguas tres, latinam, græcam, & hæbraicam. Ignatius, consulto Pontifice, ex ejusque mandato, addi posthac Philosophiæ, Theologiæ, Scripturæ sacræ, cæterarumque artium liberalium disciplinas in gratiam Germanorum jussit. Res plane memoratu digna, uti quæ primam quasi viam aperuit Suaresiis, Vasquesiis, Bellarminis, aliisque in omni litteraturæ genere excellentibus viris, qui huic Athenæo tantam deinde celebritatem atque splendorem attulere; Ut merito ambigas, quamquam in his scholis Germani Alumni erudiantur, plus ne Collegium Germanicum Romano, an Romanum Germanico debeat.

17. Scholæ altiores aperiuntur in Collegio Romano Germanorum causa.

Ecce

18. Primi adveniunt ex Germania Alumni. Crescit eorum numerus.

Ecce autem his celeriter confectis rebus, paulo post dimidium Novembris mensis, trimestri nondum spatio post editum de quo dixi Pontificis diploma evoluto, octo ex Germania Juvenes, primum Collegii rudimentum, ad Urbem appellunt. Succedunt post paucos dies divisis manipulis alii decem, sic ut ante anni exitum censerentur duodeviginti omnino. Perrexit dehinc augeri numerus eorum in tantum, ut anno proximo ad quinquaginta quinque pervenerint. Nimirum percrebrescente in dies per Germaniam Collegii recens instituti fama, jam non conquirendi Juvenes erant, sed ultro se ac certatim offerebant, & multi ex petitoribus, quo exquisitior delectus esset, excludebantur.

19. Ut haberentur primis diebus Juvenes.

Cæterum, ut quisque advenerat, non continuo disciplinæ subiiciebantur Juvenes, sed magis more hospitum quam Alumnorum ad dies aliquot habebantur. Rector amantissime exceptos quiescere tantisper, reficereque fessas ex itinere vires jubebat. Ne quid illis deesset, ne quid incommodaret, videbat. Curabat tamen ut per eos dies, utpote ab omni alia cura vacuos, expenderent secum diligenter militiæ genus, cui daturi erant nomen, simul recognoscerent conscientiam, & anteactæ vitæ maculas piaculari confessione purgarent. Quo facto, talari tunica rubri coloris induti, ac pileo clericali donati, vitam ad legum normam instituere

20. Juramenti formula, quo Pontifici adstringebantur.

cogebantur. Illud erat primum, ut suam singuli Sedi Apostolicæ fidem obligarent, sacramento in hæc verba concepto: „ Ego N. N., intellecto Sancti hujus Collegii instituto, „ ejus me Legibus & Constitutionibus libenter submitto, „ ac Summi Pontificis, & Reverendissimorum Protectorum „ intentionem, in Litteris Apostolicis & Constitutionibus „ expressam, me in eodem Collegio manendo, & ab eo „ discedendo, servaturum, coram Deo, & Vobis promitto. Romæ, die N. Mense N. Anno N. Ita est. Ego N. N. „

21. Professio Fidei Catholicæ, quam præstare jubebantur.

Præterea, ne qua suboriri posset suspicio quid quisque de Religio-

ligione sentiret, Catholicæ pietatis fidem profiteri solemni formula jubebantur in hunc modum: „ Ego N. N. coram „ Domino Deo, & omnibus qui adsunt, manu Codici Sa-„ cro imposita, sincero animo, & simplici verbo ac sensu „ profiteor, me in fide dogmatibusque, ac ritibus univer-„ sis, idem penitus sentire cum Ecclesia Catholica atque „ Orthodoxa, quæ unica est, & certa Domini nostri „ Jesu Christi institutione per summos Pontifices Romanos „ usque in hunc diem gubernata. Alias vero doctrinas & „ opiniones contrarias tanquam erroneas abjuro, in qua-„ rum etiam expugnationem hujus Collegii pium institu-„ tum probo & amplector, ac promitto cum Dei gratia „ fideliter prosequi, juxta omnes ipsius tam generales, „ quam particulares constitutiones. In cujus rei fidem „ nomen meum manu propria hic adscribo. Romæ „ die N. Ego N. „ Chirographa hæc, in codicem ne perirent relata, servabantur, & quædam usque ad nos pervenerunt. Ex quibus cum appareat, ab iis, qui primi advenerunt, jusjurandum fuisse dictum die Novembris mensis vigesimo primo, Virgini præsentatæ sacro, merito is dies Collegii natalis habetur, ac præ cæteris sacer auspicatusque Alumnis debet esse. Quamquam Orlandinus, accuratus alioqui Scriptor & diligens, Collegii ortum assignare maluerit diei xxviii. Octobris, SS. Simoni & Judæ sacro, propterea quod eo die, nullodum in Urbem advecto ex Germania Juvene, Petrus Ribadeneira de Collegio recens instituto, ejusque utilitatibus, luculentam orationem habuit ad cœtum Purpuratorum in S. Eustachii. Atque hæc habuit initia Collegium de quo scribimus, sane læta, ac prope supra spem prospera, si quid non sperandum Ignatio, sua omnia consilia ad majorem Dei gloriam dirigenti, foret. Chemnitium ferunt, ineptum illum e grege Lutheri scurram, cum de Collegio audisset, frementem frendentemque clamasse, hoc

22. Dies 21. Novembris Collegii natalis.

23. Chemnitii Lutherani amara vox de Collegio.

hoc unum defuisse scilicet, ut Ignatius de Loyola, sua Societate non contentus, hanc etiam aciem adversus Ecclesiam reformatam instrueret. Sibi posthac, non cum externis modo, sed etiam cum indigenis negotium fore. Et magnum plane negotium sibi exhibitum iri, ubi Jesuitæ pariter atque isti e Romana palæstra milites junxerint vires. Portenti simile futurum, nisi Germanica res, tanto suo ac sodalium labore in libertatem asserta, iterum Romani Pontificis jugum accipiat, ac rursum Religio tam fœliciter instaurata evertatur ac concidat. Diceres, hominem cætera mendacissimum, in Societatis & Collegii hujus commendationem oraculum pronunciasse, a quibus hæresis in Germania, si non excidium, luculentam sane plagam accepit. At Bavariæ Dux Albertus, Princeps Catholici cultus si quis alius tenax, unusque omnium acerrimus custos, ut audivit de Collegio Romæ instituto, adeo rem comprobavit, ut similem Religionis arcem moliri statuerit pro sua ditione, hujusque unice rei gratia Henricum Schveicherum, quo utebatur a secretis, Romam ad Ignatium miserit, edocendum scilicet rationem perficiendæ rei, & necessariis in id præceptionibus instruendum. Ac Duci quidem, rem talem exposcenti, libens volensque satisfecit Ignatius, ut cognosci potest ex litteris, quas Schveichero Monachium redeunti ad Principem deferendas dedit.

24. Bavariæ Dux Albertus simile Collegium moliri statuit pro sua ditione, sed nullo effectu.

„ Quia coram, inquit, agendo cum Secretario de institu-
„ tione hujus Collegii Germanici, intelleximus Vestram
„ Celsitudinem aliud simile opus, sancto sane ac pernecessa-
„ rio consilio, moliri, Litterarum Apostolicarum, & Consti-
„ tutionum ejusdem Collegii unum exemplum, & quædam
„ de institutione hujus operis Vestræ Celsitudini ferenda de-
„ dimus „. Collegium illud tamen Bavaricum successu caruit, quidve molitionem ejus interverterit incompertum mihi est. Jam de hac institutione quid senserit Ferdinandus Romanorum Rex, religiosissimus itidem, Fideique Catholicæ

25. Ferdinandus Romanorum Rex adolescentes aliquot in Collegium mittit.

licæ retinentissimus Princeps, insigni ejus facto declaratum est, anno post Collegii ortum nondum exacto. Namque ubi primum in Germaniam pervenit, regionemque pervagari fama Collegii in Urbe conditi cœpit, continuo Ingolstadium, Pragam, ad aliasque melioris notæ Academias quæsitum misit spectabilioris indolis adolescentes, ac sua impensa Romam traduci jussit, qui iter una ingressi, diversis licet viis, eodem prorsus die Urbem attigerunt, atque huic Germanorum Coloniæ se aggregarunt. Similia de Collegio sapientum fere omnium judicia fuere. Quin ad Germanicum respexisse Patres Concilii Tridentini cum decretum illud de Seminariis Episcopalibus condiderunt, proindeque ex hoc veluti primo fonte cætera Episcoporum Seminaria, quæ tam multa hodie, tam utilia ubique gentium sunt, profluxisse, atque huic originem suam debere, opinari fas est. Sane constat decretum illud fuisse factum instinctu maxime & auctoritate Moroni Cardinalis, qui Concilio cum præsideret, rem adeo salutarem, ab Jacobo Lainio antea tentatam, denuo pertractandam suscepit, atque urgere summo nisu perrexit, donec proposito exemplo Collegii Germanici, quod tam fecundo successu erectum nuper in Urbe fuerat, Patres in suam sententiam traxit. Sed qualecunque id sit, quod utpote Collegio huic perhonorificum, nec taceri omnino, nec nisi leviter attingi debuit, ad institutum narrationis ordinem redeamus. Satis belle fluxere Collegii res toto triennio, ad obitum usque Julii Pontificis. At eo prius vita functo, quam Collegium, uti constituerat, certo ac stabili censu firmasset, cum aurei illi nummi quingenti, quos e fisco assignaverat, pendi desiissent, labi nonnihil res inclinarique cœperunt. Solatio ingenti fuit successor illi datus Marcellus Cervinus, quem Marcellum II., ut diximus, appellavere, vir adeo amicus Ignatii, adeoque in Collegium propensus, ut nihil non sperandum eo Pontifice videretur. At lætam spem succidit in

26. Seminaria Episcoporum originem suam debere Collegio Germanico.

27. Collegii angustiæ post obitum Julii III. Spes ex Marcello II. irritæ.

ipſo ortu caſus nec opinatus, & maxime luctuoſus, Marcello intra alterum & vigeſimum ab inito Pontificatu diem extincto. Inde res in deterius ruere. Tum vero deſperari cœptum, cum Pontifex poſt Marcellum eſt renunciatus Joannes Petrus Carafa, qui Paulus eo nomine IV. fuit. Vir quippe, ſumma quidem religione ac virtute, at pari ingenii ſeveritate, ut Collegium non improbaret, tamen Lutheranam hæreſim, non mollioribus hiſce remediis, ſed igni ferroque coercendam dictitans, adverſus Sacrorum violatores, deſertoreſque veterum cæremoniarum quæſtiones exerceri, Principes contumaces bello premi, Romanæ Eccleſiæ amplitudinem vi atque armis vindicari, quam leviora hæc longioraque adhiberi malebat. Itaque ad Collegii munimentum nihil conferente Pontifice, & Cardinalium, qui annuas penſiones promiſerant, aliis morte ſublatis, aliis moroſius promiſſa præſtantibus, brevi ad inopiam extremam deventum eſt.

28. Paulus IV. Collegio laboranti nihil præbet.

29. Ignatius Collegii inopiam ſublevandam ſuſcipit.

Sed non idcirco deſpondit Ignatius animum, aut Collegii procurationem dimiſit. Certus relictam uni ſibi, ſuiſque duntaxat humeris incumbentem molem conſtanter ferre, Alumnis ut neceſsaria provideret,amicorum opem implorare, ſtipem corrogare oſtiatim, nomina facere, fidemque ſuam creditoribus obligare cœpit. Et œconomo domus Profeſſorum monenti, ſi ita pergeret, brevi domum ære alieno oppreſſum iri, quod diſſolvi nunquam poſſet; Immo vero, reſpondit, quidquid id eſt debiti Germanorum cauſa contracti, brevi, ut ſpero, diſſolvetur ad nummum. Quod præter omnium opinionem ipſa re factum eſt, Deo famuli ſui fidem inſperato modo liberante. Accidit per hæc, ut quo maxime tempore anguſtior res domi erat, Romam ex inſperato advenirent duodecim ex Germania Juvenes, ea tantum cauſa tam peregre advecti ut in Collegium reciperentur.

30. Miſſos a Ferdinando Romanorum Rege Ju-

Eos Ferdinandus Romanorum Rex e Bohemiæ Regno ſeligendos curaverat, veniebantque miſſu ejus ad Ignatium, & lit-

& litteras commendatitias ferebant. Nimis plane multi erant quam ferret præſens Collegii copia, & plus nimio gravabatur tot acceſſione capitum penus domeſtica, ſi reciperentur. Sed neque repellendi videbantur Juvenes, qui & præclaris animi corporiſque dotibus eſſent inſtructi, & tanti Principis commendatione muniti veniſſent. Ignatius ergo, ut erat non ſolum animo ingenti erectoque, ſed etiam ſingulari prudentia, ne ægre faceret Regi, ſimul ne Collegio onus imponeret, cui ferendo non erat, mediam ingreſſus in viam, in ſuam Societatem volentes lubenteſque omnes admiſit. Quod adeo gratum accidit Ferdinando, Beati Viri tam bene affectum erga Nationem Germanicam animum pro merito æſtimanti, ut nummos aureos quadringentos ſublevandæ Societatis inopiæ elargitus continuo ſit, ac deinde quotannis totidem in uſum Collegii Romani mittere conſueverit. Cæterum, ut difficillima eſſent tempora, triceni minimum in Collegio Juvenes corrogatis undeunde pecuniis alebantur, & quidem ſic, ut nihil neque ad vitæ uſum, neque ad honeſta commoda deſiderarent. Rector Fruſius diſciplinam ita temperabat, ut neque remiſſa, neque juſto intenſior rigidiorque eſſet, ſed ætati, conditioni, viribus, Eccleſiaſticæ in primis inſtitutioni congrueret. Leges ſancte cuſtodiebant plerique, ſpemque de ſe maximam in tempus poſterum faciebant. Si quis morigerus parum ac degener, dimittebatur. Itaque magna domi quies, magna animorum conjunctio, nullum niſi de virtute ac litteris certamen erat. Sed quamquam hæc ita eſsent, & ſatis ſua ſorte contenti Alumni viverent, ſive ex his quiſpiam aliquo ſuo merito dimiſſus, ut amoliretur a ſe ejectionis ignominiam, culpam in Moderatores rejecerat, ſive inimici Societatis, adeo ſecundas res ut inverterent, ei conflare conabantur invidiam, ſeu demum voce coram, ſeu miſſis ab Urbe litteris graſſarentur improbi calumniatores, certe ſerpere

venes duodecim in Societatem recipit.

31. Ut haberentur in Collegio Alumni hoc tempore.

32. Calumniæ per Germaniam diſſeminatæ contra Collegium.

per Germaniam rumor malignus cœpit, male enimvero Germanicæ Juventuti esse, quæ Romæ inter manus Jesuitarum educaretur. Non victum illi, non ad cultum corporis necessaria, nisi parce admodum ac maligne præberi. Durius deinde haberi ingenuos adolescentes, quam ferre illa ætas posset. Otii nihil esse, nullum indulgeri oblectamenti quantumvis honesti genus. Leges demum exigi, non difficiles solum, sed plane intolerabiles, quales pati nec Cœnobitarum austerissimi vellent. Quæ cum late percrebrescerent fama, de his Petrus Canisius, vir ille rebus pro salute Germaniæ gestis nominatissimus, admonendum per litteras Ignatium censuit.

33. S. Ignatii testimonium adversus eas calumnias.

Sed quam falso ea jactarentur, cognosci poterit ex particula litterarum, quas ad Canisium ipse rescripsit Ignatius. ,, Collegium Germanicum quod attinet (inquit), minus ,, prosperum illius successum, si non est inimicus ille homo, quis spargat nescio. Secundum sane cursum Deo aspirante ex sententia tenet. Iniquissimis hisce temporibus ,, omnino nihil Alumni desiderant, quod ad vitæ necessitatem, vel morum litterarumque profectum faciat. Qui ,, præsentes in Collegio sunt triceni, suas in classes pro doctrinæ varietate distributi, spem de se præbent futurum ut ,, præclari ad Dei gloriam evadant. Etiam atque etiam numerum augere cuperemus bonorum. Insolens quispiam, ,, inter meliores admissus, iterum dimissus est. Vestra Reverentia in id incumbat, ut adolescentes aliquot frugi seligat, ad nos mittendos. Tam paucis hi adstringuntur ,, opinione nostra, ut miremur æquo graviorem disciplinam ,, & obligationem videri. Singulis hebdomadis ad suburbanos agros animi causa bis concedunt. Nulla tractantur ,, asperitate, immo maxima potius liberalitate, modo ut ,, cum ædificatione vitam instituere velint ,,. Hæc Ignatius, testis ut opinor idoneus, nec sublestæ fidei. Accidit inter hæc ut grave bellum ac periculosum incenderetur inter

ter Paulum Pontificem, & Philippum Hispaniæ Regem. Eo jam processerant res, ut Ferdinandus Toletus Albæ Dux, qui Hispanorum copiis imperitabat, pluribus occupatis Pontificiæ ditionis oppidis, & in agrum Romanum traducto exercitu, ad ipsa Urbis mœnia victoris in modum obequitaret. Tota ob eam rem armis perstrepente urbe, & Populo Romano, tum ab insita virtute, tum ex recenti captæ direptæque urbis memoria, ad defensionem murorum alacriter excubante, neque solum propulsare hostem, sed in eum incitata ferocia erumpere gestiente, in illo militari tumultu, rerumque omnium perturbatione, omnia fiebant Collegio arctiora, quippe in nulla spe subsidii alicunde affuturi, quando & ipsa urbs gravi laborabat frumenti caritate, & passim audiebantur egenorum clamores atque ejulatus, vitam ægre trahentium, ac deesse sibi annonam quiritantium. Tamen ne tum quidem Collegii administrationem Ignatius dimisit. Illud magis sibi faciendum ratus, ut innocuos Juvenes, non penuriæ solum, sed etiam armorum periculo eximeret, paucis in Urbe relictis, cæteros eductos inde in ulteriorem Italiam, per varia sui Ordinis domicilia distribuit, tuto ibi futuros, ac tamdiu communi inter suos victu, cultu, tectoque usuros, donec pacatiora tempora rediissent.

34. Bello ingruente Alumnos distribuit Ignatius per varia sui ordinis domicilia.

35. Ignatii constantia in tuendo Collegio adversus omnes humanas rationes.

Fuere tum haud ita pauci, qui humanis rationibus metientes rem, aperte negarent Collegium eo statu, nulla rerum meliorum affulgente spe, conservari ultra posse. Et quidam Ignatium temeritatis coarguebant, qui molem suis majorem viribus pertinaciter sustinere pergeret, invitis quodammodo hominibus superisque. Præ cæteris Otho Truchses Cardinalis, Episcopus Augustanus, unus ex Collegii Protectoribus, ejusque antea fautor studiosissimus, cum audisset de Alumnis per causam belli Urbe eductis, ac per Societatis Collegia tributis, scripsit ad Ignatium, ne ullam ultra curam de Collegio, quod necessario esset dissolvendum, sume-

ſumeret. Satis jam laborum ac diligentiæ ad illud conſtabiliendum quadriennii ſpatio contuliſſe. Deſineret aliquando id inops conari, quod ingentem ac perpetuum ſumptum expoſceret. Uteretur honeſtiſſima belli cauſa, hanc occaſionem ſuam duceret, Collegii procurationem dimitteret. Eadem alii ſuadebant amici, ac rerum prudentes viri. At Ignatius ad hæc pro cætera magnitudine animi reſpondebat, ſi quem curæ hujus tæderet atque operæ, eam ſibi totam relinqueret. Stare ſibi, ac fixum eſſe Collegium tueri dum viveret, & ſemetipſum venundaturum citius, quam Germanos ſuos deſereret. Parum quidem præſidii eſſe in humana ope, at in divina plurimum. Perſtabatque obfirmato ad omnes caſus animo, ut non tam frangi, quam magis incitari difficultatibus videretur. Quondam etiam in familiari ſermone, exſtiturum aliquando ait Pontificem, qui Germanici Collegii, non modo inopiam ſublevaret, ſed perennitati etiam ac dignitati conſuleret, ſeque ei patrem non minus providum quam munificum præberet. Quod humana ne dixerit conjectura, an præſenſione de cælo accepta, incertum. Vaticinium certe cumulate affirmavit eventus ſub Gregorio XIII., ut ſuo infra loco diſſeremus. Sed vitam eo uſque non produxit Ignatius, quem flagrante adhuc bello, multa ad tutelam firmitatemque Collegii molientem, immatura mors intercepit prid. Cal. Auguſti, anno MDLVI. Eo caſu nihil videbatur proximius quam ut una velut eademque ruina Collegium obrueretur, niſi quam ei opem attulerat vivens, eamdem, & multo etiam validiorem afferre de cælo Ignatius perrexiſſet. Vere Collegii pater, cui primam formam, ut ſupra oſtendimus, ac veluti vitam dedit. Iterum providus pater, qui extremam ejus inopiam ſuis impenſis ſublevavit, rerum omnium indigum aluit, in ſummum diſcrimen adductum, ut hactenus demonſtratum eſt, ab interitu vindicavit. Pater etiam patronuſque ejus, ut ſperare pium eſt,

36. Quoddam ejus vaticinium de futura Collegii ſorte.

37. Moritur S. Ignatius, & Collegium tueri de cælo pergit.

38. Eum ut Collegii Parentem Alumni colunt.

est, semper futurus. Merito proinde eum Alumni ut communem Parentem jam tum ab initio habuere, ac porro habent. Idque ut testatum publice facerent, statim atque honore Cœlestium coli potuit, aram ejus propriam in Divi Apollinaris extare voluerunt, hac imposita majoribus litteris inscriptione: *S. Ignatio Societatis Jesu Fundatori Collegium Germanicum Auctori suo posuit*. Inde etiam Ignatium præcipua religione colunt, diem ejus anniversariam servant, pridie jejunant, & ad ipsum Ignatii nomen, cum ex Martyrologio legitur super mensam, assurgunt omnes, & caput reverentiæ causa detegunt. Quod voluntate, non necessitate factum, pii gratique evidens argumentum est animi. Cæterum, ut eo, unde nonnihil evagati sumus, regrediamur, morte Ignatii erant plane res summæ desperationi proximæ, eo dempto viro, cujus auctoritate, consiliis, atque constantia omnia nitebantur. Accessit ad mali cumulum excessus Frusii, Rectoris experientissimi, qui intra Autumnum ejusdem anni vitam simul & Collegii administrationem alienissimo reliquit tempore. Tamen, Deo protegente, Collegium stetit incolume, immo fortuna aliquanto commodiore post paulo uti cœpit. Ignatio nimirum successit in summo sui Ordinis magistratu Jacobus ille Lainius, vir doctrinæ fama nulli ætatis suæ secundus, eoque multum apud primores Urbis auctoritate pollens & gratia; qui, ut erat B. Parentis, non dignitatis modo, sed etiam animi virtutisque hæres, omniumque consiliorum ejus ex longa & familiari consuetudine particeps, ad farcienda Germanici Collegii damna primam curarum intendit. Primo igitur Rectorem ei novum præfecit Ursmarum Guisonium, gente Belgam, eruditionis & prudentiæ laude excellentem in paucis virum, qui amissi Frusii desiderium leniret. Post conquirendæ pecuniæ, unde Alumni viverent, laxandæque rei cibariæ difficultati, studium omne convertit. Ac perdiu qui-

39. Ignatii successor Jacobus Lainius vias omnes exquirit Collegii conservandi.

40. Stabile subsidium impetrat a Collegio Cardinalium.

quidem ab amicis, aliisque opulentis ac piis Civibus quanto opus fuit abstulit. At postmodum, futuri providus, incertis hisce vagisque largitionibus haud satis fidens, quando ab austero Pontifice, belli curis implicito, exorari nihil poterat, vertit se ad Cardinales, rogavitque eos per libellum supplicem, ut in ea re, quæ ipsorum maxime beneficentia cœpta esset, beneficium ipsi suum tueri provehereque pergerent, & quam nascenti Germanorum Collegio benignitatem præstitissent, adulto ne denegarent. Valuit apud Patres oratio, haud ægre sibi persuaderi passos rem, quæ & per se æquissima, & decora ordini eorum esset. Referente itaque ad Senatum Joanne Bellajo, Cardinalium antiquissimo, factum est omnium consensu decretum in hæc verba:
„ Die Veneris 9. Aprilis 1552. Romæ apud S. Petrum in
„ Palatio Apostolico prope Aulam Constantini, in Came-
„ ra Audientiæ appellata, præsentibus RR. DD. Episcopis,
„ Presbyteris, & Diaconis S. R. E. Cardinalibus, ad Con-
„ sistorium secretum vocatis, & iis omnibus qui tunc erant
„ in Urbe, paucis exceptis, totum Sacrum Collegium
„ ipsorum Cardinalium repræsentantibus, referente Reve-
„ rendissimo Domino Joanne Episcopo Ostiensi, Cardi-
„ nali Bellajo Decano, fuit decretum & ordinatum per ip-
„ sos Reverendissimos Dominos Cardinales unanimiter con-
„ gregatos, ut postea futuris temporibus de thesauro &
„ massa pecuniarum quarumlibet ad eosdem & Sacrum Col-
„ legium præfatum spectantium, & pertinentium, debe-
„ rentur Scholaribus & Collegio Germanorum in Urbe
„ existentium, sive ejus Agenti, pro eleemosyna tot scu-
„ ta auri quolibet mense, quot essent in Urbe Cardina-
„ les de dictis pecuniis participantes, ac solverentur, &
„ solvi deberent dictis Scholaribus Germanicæ nationis, sive,
„ ut præfertur, eorum Agenti, in singulis divisionibus ea-
„ rumdem pecuniarum inter præfatos Reverendissimos Car-

„ dina-

„ dinales faciendis, ita quod in effectu quilibet ex ipsis „ Cardinalibns de dictis pecuniis participans singulis annis „ pensionem duodecim scutorum auri dictis Scholaribus & „ Collegio persolveret, modo & forma prædictis, & ita „ scitum fuit. Ita est, Joannes Bellajus Episcopus Ostien. „ Hoc decreto cum redirent ad Collegium aurei quotannis scutati nummi circiter quadringenti (nam Cardinales ferme quinque & triginta semper in Urbe sunt) magnopere levata ejus egestas est. Atque hoc maxime proventu tota res ad Gregorium usque XIII. stetit. Nam quod accesserat a Bellajo Cardinali haud levis momenti subsidium, non fuit diuturnum. Id tamen quale fuerit cognoscere pretium est. Prædium erat ingens ac frugiferum in patenti prope Terracinam solo, quod nunc aqua superfusa ac stagnante totum natat, fueratque olim in bonis Familiæ Mediceæ, quippe a Leone X. Pontifice una cum Paludibus Pontinis attributum Juliano Mediceo, ac Laurentio Florentinorum Duci, fratribus suis. Ab his ad Catharinam Franciæ Reginam, a Catharina ad Bellajum quem dixi Cardinalem pervenerat. Is ergo, licet natione Gallus, Germanicæ Collegii hujus Juventuti incredibiliter cupiens, ejus in usum septuaginta frumenti modios (Rubla appellat vulgus) quotannis ex eo latifundio percipiendos, confectis rite tabulis, in perpetuum addixit. Sed brevis ejus fundi fuit usura. Mortuo Cardinali, donationem in controversiam vocarunt sorores ejus duæ Ludovica & Claudia, abnueruntque frumentum ex fratris præscripto solvere. Itum est in jus. Disceptata autem in Collegio duodecemvirali (Rotam nominant) causa, Collegio Germanico adjudicata lis est, eique agri ipsi, ex quibus frumentum debebatur, mancipio traditi. At Terracinenses, cœli gravitatem, & vapores noxios excusantes, per eos prorsus agros aquam in mare corrivandam sumpsere, unde oppleti humore inundatique sunt, & inutiles ad culturam

41. Singularis erga Collegium liberalitas Cardinalis Bellai.

42. Ejus beneficentia frui non licet Collegio.

turam facti. Ac demum Pontifex Sixtus V., suscepta Paludum Pontinarum exsiccatione, Collegium omni agrorum usu privavit. Ita Bellajanæ donationis fructu Germani caruerunt, sed non idcirco Donatoris beneficentia tegenda silentio fuit, ejus præsertim Viri, qui non eruditione minus quam pietate inter primos ævi sui claruit, & gravissimis gerendis rebus, tum a Rege Galliæ, tum a Pontifice adhibitus, singularem in omnibus fidem, integritatem atque solertiam

43. Dispulso metu belli, Romam Alumni revocantur.

præstitit. Hoc interea medio tempore Toletus Hispanorum Ductor, qui ipsam premere ac tentare Urbem constituerat, jamque ad ipsa usque Urbis mœnia, ut supra docuimus, erat progressus, comperto non esse sibi cum imparatis, uti crediderat, rem, sed Populum Romanum discurrere huc illuc per muros armatum, acerrimamque defensionem parare, mutato consilio, abduxerat inde exercitum, coactus incœpto absistere re infecta. Nec ita multo post inter Pontificem Philippumque Regem pax coaluit. Amoto igitur belli metu, pacata Urbe, annona explicata, Alumni, quos per varia Societatis domicilia dispersos dicebamus, suam in sedem vocati redierunt, ac denuo se suis sodalibus, qui Romæ substiterant, conjunxerunt. Inde etiam firmata quadantenus novo proventu re domestica, si non lautius, securius certe, aut minus anxie vivi cœptum. At enim proventu major Alumnorum numerus erat, & multo etiam majorem Lai-

44. Alumnis Germanis nobiles ex omni gente Convictores adduntur.

nius cupiebat. Qui proinde se varias in partes versans, demum, quod mirere, ut suppleret tenuitatem census, augere capitum numero familiam statuit, adscitis in Collegium, præter Germanos, aliis ex omni gente ingenuis Adolescentibus, qui certum pecuniæ numerum pro convictu penderent. Ita fore, ut cum pensionem justam pro se quisque multi conferrent, ex hac communi summa participarent ii quoque, qui conferrent nihil, ut perspici in omni conviventium multitudine posset. Placuit domi forisque consilium, idque

idque modo sancitum, ut Germani deinceps Alumnorum, cæteri Convictorum appellatione distinguerentur. Atque hinc Convictores, quod ego sciam, in orbe primi, natio hodie late fusa in tantum, ut hisce nobilium adolescentum contuberniis plena omnis prope Europa sit. Statim atque manavit in vulgus fama, patere omnibus omnium gentium, dummodo nobili natis loco, adolescentibus id Collegium, incredibiles ex omni Italia Germaniaque adolescentum concursus sunt facti, recipi postulantium, nomenque profitentium. Mutanda itaque sedes, alia quærenda domus fuit, quæ tantam multitudinem caperet. Jam ante, vivo adhuc Ignatio, translati Juvenes Germani fuerant in ædes paulo ab Collegio Romano remotiores Cæsarinorum, ubi nunc Theatrum, ut vocant, Argentinense, relicta de qua supra diximus domo ad Arcum Camillianum. Sed neque ibi constiterant diu, migraverantque in domum Collegio Romano viciniorem, inter S. Stephani de Cacabo, & S. Joannis de Pinu sitam. Hic modo considebant. Sed cum ex Convictorum accessione laxiore ædificio esset opus, hinc etiam migrare sunt coacti, atque in amplam insulam, ubi nunc Ludovisianum S. Ignatii Templum visitur, concessere. De aliis eorum transitionibus, quæ secutis temporibus factæ sunt, alibi sermo redibit. Eodem ergo sub tecto, iisdem sub Moderatoribus Alumni pariter Convictoresque contineri cœperunt, & easdem frequentabant scholas. Sed non iisdem hi atque illi legibus adstringebantur. Nec enim facile, aut omnino fas visum ad Ecclesiasticam Alumnorum disciplinam Convictores, nullodum vinculo Ecclesiæ mancipatos, ac forte omne aliud vitæ institutum cogitantes, adigere. Sic tamen attemperata utrisque erant omnia, ut severitate dispari, pari omnes diligentia ad pietatis bonarumque artium studia incitarentur. Nec qualecunque discrimen ægre ferebant Alumni, qui & multo pauciores numero

45. Transfertur Collegium in domum ampliorem.

46. Diversa disciplina Alumni ac Convictores gubernantur.

47\. Convictorum numerus ad ducentos excrescit. Invidi obloquuntur.

essent, & gratuito uterentur victu cultuque, & demum se ad Sacerdotalis ordinis sanctitatem institui intelligerent. Nam ad numerum quod attinet, Alumni haud plures viginti censebantur, Convictores vero brevi ad ducentos & si quid amplius excessere. Et claro omnes erant genere, plerique Cardinalibus, aliisque principibus viris arcta necessitudine conjuncti. Ea res invidiosa multis erat, & eorum adversus Jesuitas odia concitabat. Hinc vetera illa de nimia disciplinæ severitate, de victus parcitate, de Moderatorum supercilio refricari. Quidam studiorum rationem, alii Juventutis inæqualem institutionem, alii alia carpere. Et fuere, ut fere semper, qui probrosa multa comminisci, & in vulgus spargere contra Collegii famam non dubitarent. Sed frustra erant jactæ ex malevolentia voces, neque his Collegii progressus retardabantur. Tum vero minus timeri cœptum, cum Paulo IV. Pontifici, austerioris ingenii, ut dictum est, viro, nec admodum in Collegium propenso, qui anno MDLX mortem oppetiit, Pius item IV. e Mediceorum Mediolanensium gente est subrogatus. Hujus creatione Pontificis magnopere recreatum Collegium est. Nam præter animum ejus splendidum ac liberalem, Collegiique ipsius, quod multis sæpe rebus perspectum antea fuerat, cupidum, erat illi cum Altempsiis, nobili inter Germanos familia, arcta affinitatis necessitudo, & Truchsesium Cardinalem, qui in omnem commodandi Collegii occasionem imminebat, in magna habebat gratia, nihilque non facturus ejus deprecatione videbatur. Spem augebat Carolus Borromæus, spectatæ innocentiæ virtutisque Juvenis, Pontificis sororis filius, qui jam tum ad omnem Christianæ perfectionis gradum contento studio nitebatur, & Societati Jesu favebat impense, omnemque institutorum ejus rationem magni faciebat, nec erat dubitandum quin Collegium ab Ignatio conditum, Societati concreditum, ad incrementum Catholicæ Religionis unice natum

48\. Creatur Pontifex Pius IV. Collegii spes sub novo Pontifice.

natum factumque, quanta posset maxima ope esset provecturus. Nec irritæ fuerunt spes. Pontifex certior factus Germanos paucos in Collegio ex censûs tenuitate vivere, quinquagenos iis alendis aureos in mensem adjecit, quæ suppetiæ cum annuo, de quo diximus, Cardinalium penso, tricenis deinceps sustentandis pares fuere. Atque hoc primum beneficiorum ejus fuit. Illud vero expetibilius fortasse, quod cum rumore ipso atque auditione accepisset quæ contra Collegii famam circumferebantur, & quædam nominatim delata ad eum essent, non ea credidit temere, nec ob incertas hominum otiosorum aut improborum voces mutavit mentem, aut animo est alienatus, sed, ut erat prudentia insigni, submisit clanculum qui per speciem amicitiæ in omnem Collegii administrationem curiosius penitiusque inquirerent, & ad se referrent. Comperto autem quæ ferebantur vana esse omnia ac commentitia, ut Collegii simul ac Societatis famam sarciret, omnemque in posterum obtrectationi apud se aditum intercluderet, Collegium ipsum honestare Pontificiæ majestatis præsentia statuit. Captato igitur solemniori festo die, intulit ultro se cum amplo comitatu in Collegium, acceptusque in ipso vestibulo ab omni Juventute in genua provoluta, & carmine salutatus, domus interiora subiit. Aulas, conclavia, cœnationem ipsam, stratam jam instructamque, perlustravit, ac multa de numero Alumnorum Convictorumque, multa de disciplina eorum & studiis scitatus, probatis demum laudatisque prolixe omnibus, ad S. Marcum, Pontificum eo tempore habitationem, remeavit. Et notatum est, cum rediret invectus curru domum, nullum laudandi Collegii finem fecisse, & vespere ejus diei non alium intulisse sermonem, quam qui spectaret ad laudem multo maximam Societatis, & eorum qui obloquerentur infamiam. Fuit sane id ad Collegii Societatisque commendationem illustre

49. Pensionem Collegio assignat Pontifex.

50. Falsa comperit quæ jactabantur contra Collegium.

51. Collegium invisit, ac prolixe laudat.

52. Seminarium Clericorum decernit, Societatique committendum statuit.

stre. Multo illustrius quod sequitur. Deliberatum habebat Pius Seminarium Clericorum ad præscriptum Concilii Tridentini in Urbe instituere, nempe ut Pontificis maximi exemplo reliqui terrarum Orbis Episcopi ad idem faciendum incitarentur. Namque hoc Concilii decretum unum omnium saluberrimum, & Christianæ Reipublicæ pernecessarium rebatur, uti quo maxime dignitati Sacerdotali, & Sacrorum cultui consultum esset. Rem itaque ad Senatum retulit. Sed qua oratione erigendum Seminarium, eadem videri sibi dixit, non alteri quam Societatis Jesu hominibus committendum, qui Collegio Germanico jam tot annis præessent, in eoque administrando tantam sibi laudem peperissent. Quod rogati sententiam Cardinales quot aderant unus & viginti, refragante nemine, comprobarunt. Atque eodem die Cardinali Sabello, suo in Urbe Vicario, negotium dedit ea providendi, quæ ad erectionem novi Seminarii spectarent. Moræ nihil fuit. Conducta est sexcentis aureis ampla domus familiæ Capranicæ, in regione S. Eustachii, prope palatium a Valle denominatum, ubi nunc templum est familiæ Theatinæ D. Andreæ dicatum. Eadem in usum Seminarii aptata, & domestico instrumento munita est. Tum proventu certo, rebusque aliis ad operis firmitatem comparatis, eam in domum adolescentes honesti generis aliquot, qui in castris Ecclesiæ militare interposita juramenti fide constituissent, sunt introducti, anno MDLXIII. Vestitus forma ex Alumnis Germanis accepta, variato tantum colore, quem esse hyacinthinum placuit. Ex iisdem assumpta omnis vitæ ratio, ac disciplinæ. Rector quin etiam impositus Jo: Baptista Peruscus, qui Collegio Germanico nuper cum laude præfuerat. Sic demum ex Germanico natum quodammodo est Seminarium Romanum, digna parente soboles, in quo tamen perdiu soli familiam effecere Clerici. Ut iis postea additi sint itidem e Collegio Germani-

53. Erigitur Seminarium Romanum ad similitudinem Collegii Germanici.

manico educti Convictores, in loco referemus. Sub idem interea tempus Collegium, de quo scribimus, denuo mutare sedem coactum est. Mutandi causa fuit Victoriæ Tolfiæ, fœminæ nobilissimæ, liberalitas, quæ ut Pio Pontifici gratificaretur, auctoritate hortatuque ejus Societati concessit amplas quas habebat ædes in eo soli spatio, quod nunc Ignatii Templum, & Collegii Romani pars lato ambitu includit. Huc nempe migrante ex ædibus Salviatis Collegii Romani familia, Alumnis Convictoribusque, qui ibidem, ut supra tradidimus, habitabant, cedendum loco ac convasandum fuit. Ac nunc quidem in domum satis amplam transierunt, ad latus Divi Marcelli sitam. Sed neque id stabile domicilium fuit. Septem post annos hinc quoque discessum est, & nova quæsita sedes in palatio ampliore Marci Antonii Columnæ, e regione XII. Apostolorum, ubi usque ad Gregorii XIII. tempora Collegium constitit. Per hæc mortuo Lainio, summam rerum Jesuitæ detulerant Francisco Borgiæ, eodemque exeunte anno, qui fuit sæculi LXV., cum decessisset Pontifex Pius Quartus, ei sub initium anni sequentis est substitutus alter Pius eo nomine Quintus; ita res gubernante Numine, ut eodem fere tempore supremum in suo quisque gradu honorem obtinerent duo summi viri, quos deinde miraculis affirmata Sanctitas Cœlestium numero adscripsit. Electio Pii grata in vulgus, gratissima Collegio Germanico accidit, cum alias ob causas, tum ob eam maxime, quod inter Convictores censebantur e familia Ghisleria adolescentes duo, qui novum Pontificem arcta sanguinis conjunctione attingebant, prætereaque duo Bonelli, ejus sororis filii. Ad hos certatim salutandi gratulandique causa, stimulante nascentis fortunæ spe, ex omni statim Urbe concursum est, nec prensationibus, ut sunt artes aulicæ, parcitum. Collegium etiam, dum

54. Transfertur Collegium in aliam sedem.

55. Lainio succedit S. Franciscus Borgia, & Pio IV. S. Pius V.

56. Collegii lætitia ob electionem novi Pontificis.

57. Pius Convictores consanguineos suos manere in Collegio jubet.

dum tota Urbs festivis ignibus collucebat, signa publicæ lætitiæ luminibus ignibusque festivis edidit. Addidit post paulo poeticum plausum vario carmine, quod splendido apparatu, in magna nobilium ac litteratorum frequentia peractum, in laudem multo maximam sic institutæ Juventutis cessit. Procul aberat tamen a Pio intemperans illa cura suos ad principatum attollendi. Itaque manere abditos

58. Nonnulla beneficia defert Collegio.

in Collegio Bonellos Ghisleriosque, nec sibi supra cæteros quidquam arrogare jussit. At qua esset erga Collegium voluntate, non uno, nec sero, nec ambiguo declaravit indicio. Mos erat, cum Pontifici recens inaugurato sacra solemni ritu Thiara primum imponebatur, eo die, ad captandam populi gratiam, argenti magnam vim proiicere ad affusam multitudinem, fausta omnia novo Principi comprecantem. Pius, ambitioso more abrogato, magis pecuniam eam secreto dividi, tribuique per varias Religiosorum domos, atque alia pia inopum hospitia jussit. Et portio non mediocris Collegio Germanico jussu ejus est tradita. Neque dum primus exierat ab inito Pontificatu annus, cum pauciores Alumnos ratus pro magnitudine agri, cui excolendo parabantur, plures ut alerentur, Nosocomiis Bohemicæ Slavonicæque nationis, quibus in suos usus superfluebant opes, pensionem annuam imposuit tercentum & triginta Coronatorum nummum, Collegio Ger-

59. Pontificis propensio erga Collegium unde orta.

manico persolvendam. Amabat scilicet, maximoque opere sibi fovendam hanc Juventutem statuebat Sanctissimus Pontifex, tum commendatione Borgiæ, cui ob vitæ ac morum similitudinem addictissimus erat, tum quod sanctissima disciplina educatam sentiebat, maxime Alumnos, in quibus, non qualemcunque pietatis speciem, sed virtutem masculam, ac spiritum vere sacerdotalem spectabat. Cujus rei illo ipso anno MDLXVI. specimen est editum insigne, publicum, nec tacendum. Affinis pesti lues corripuerat

puerat regionem Urbis eam, quæ a Campo Martio ad portam usque Flaminiam longo tractu porrigitur; cujus invalescente morbi vi, tam multi mortalium prosternebantur, ut ægre invenirentur qui quantovis oblato pretio inducerent animum ægrotis pauperioribus necessarium vitæ commeatum ministrare, multi etiam, ob Sacerdotum qui præsto essent paucitatem, æternæ vitæ præsidiis destituti perirent. Eorum itaque curam sibi ultro desumpsere homines Societatis, qui proinde divisis inter se officiis, aut paratos domi cibos & pharmaca, onustum præ se agentes jumentum, per domos inopum circumferebant, aut languentium lectulis diu noctuque assidentes, dabant operam ne quis nisi rite expiatus, atque ultimis Christianorum sacris procuratus decederet. Movit ea charitas Alumnorum animos, incenditque sic, ut venire in ejusdem partem operæ ac laboris exposcerent. Ut multum instarent tamen, Moderatoribus naturam morbi reputantibus, qui facile trahi pestilenti halitu, aut ægrotorum attactu posset, visum non est talem Juventutem in ejusmodi discriminis aleam dare, nec ullis adduci precibus potuerunt ut ejus rei gratiam rogantibus facerent. Dejecti spe, ac pulchro frustrati voto, non quieverunt tamen; At illud saltem sibi concedi petierunt, ut curandis mortuorum funeribus impenderent operam. Nihil huic rei subesse periculi, & velle se jam tum ad munus Sacerdotale aliquando obeundum hoc experimento proludere. Concessum est quod rogabant, dandum hunc pio fervori locum existimante Rectore. Jam quanta alacritate permissam sibi provinciam susceperint gesserintque Juvenes generosi, majus est quam ut ullis consequi verbis queam. Prodibant luce palam in publicum, alii sandapylam succollabant, alii ordines ducebant, alii consuetas Ecclesiæ preces, ac suprema funerum peragebant. Quæ cum tota inspectante Urbe fierent,

60. Alumnorum pius ardor pestilenti lue sæviente.

61. Ducendorum funerum procurationem suscipiunt, geruntque insigni pietate.

rent, obstupescebant Romani (eos dico, quos male non affecerant pravi de Societate sensus), atque ex hoc specimine de cætera Alumnorum institutione conjecturam facientes, ipsorum pariter ac Moderatorum in laudes effundebantur. Censebantur hoc tempore in Collegio Juvenes omnino ducenti octoginta tres, pars maxima Convictores. Verumtamen Alumnorum, ut multo inferior numerus, ita cultior virtute animus, & spectabilior ad exemplum vita erat. Nam cum ad Ecclesiæ ministeria succrescerent, curabant sedulo Moderatores ut iis se virtutibus præmunirent, quæ Sacerdotali congruerent nomini, magno in primis rerum humanarum contemptu, ac sui met, tum charitate, patientia, aliisque id genus instituti sui præsidiis & ornamentis. Sacellum domi erat, in quod statis subinde horis convenientes, aut piæ meditationi vacabant, aut disserentem de divinis rebus Sacerdotem audiebant. Hic sacra participabant festis diebus, hic divina carmina alternis concinebant, aliaque Religionis officia obibant. Conscientiæ arbitro utebantur viro in primis gravi doctoque, ad ejusque nutum ita se componebant, ut nihil quod ad animi cultum pertineret aggredi injussu ejus auderent. Nec vero solum innocenter vivere, sed perfectiora sequi, in primisque naturæ cupiditates comprimere, ductu ejus hortatuque studebant. Multi ad cætera vitæ communis incommoda voluntarios cruciatus identidem adhibebant, & interdum deprimendi sui causa publice accusabant se, & ad pedes sodalium se abjiciebant. Ita cum consuescerent domi, foris, quoties divisis per Urbem agminibus incederent, modestia, gravitate, incessu ipso, ac tota oris corporisque compositione omnium in se oculos convertebant. Studiis sic deinde appellebant animum, ut eos decebat quibus aliquando pro sacrorum fide cum hæreticorum doctissimis congrediendum, & adversus eorum cavillatio-

62. Ut Christianis virtutibus informarentur Alumni.

63. Quam sedulo incumberent studiis. Exemplum in hoc genere insigne.

lationes propugnanda veritas esset. Constat ex monumentis, Alumnos hosce in publico Athenæo longe cæteteris condiscipulis anteire solitos. Atque illud nominatim memoriæ proditum est, cum Cardinalis Farnesiii munificentia diversi generis præmia in Collegio Romano essent proposita, inter Scholasticorum præstantiores dividenda, & unicuique optio esset eligendi quod mallet, Germanos, quorum sane multis hoc virtutis honestamentum obtigit, libros quosdam eruditos præoptasse, hosque rebus aliis specie pulchrioribus, ac majoris pretii antetulisse: Quod factum circumfusa multitudo prolixe laudavit, velut excelsi cujusdam animi, doctrinæ omnia posthabentis, indicium. Mitto dicere quam crebras haberent, privatim ac publice, de Philosophicis Theologicisque rebus concertationes, quam multi doctoratus insignibus scientiæ merito ornarentur, atque hujus generis alia, quæ si velim diligentius persequi, longe supra hujus operis modum narratio excrescere, non sine legentium satietate, debeat. Ita interim se habentibus Alumnorum rebus, turbatum nonnihil est inter Convictores, & quædam evenere, quorum causa de divisione facienda, traducendisque aliam in domum Convictoribus, consilia agitari sunt cœpta. Solemne his erat sacri argumenti tragœdiam populo confluenti dare iis diebus, qui dies per varios lusus, multiplicemque lasciviam traduci ab hominibus male feriatis, more ab antiquis Bacchanalibus accepto, solent. Honestissimum porro id solatii genus, immo plane per eos dies necessarium habebatur, ne inclusa domi Juventus fervida, ad insana plebis triscurria, aliaque extra domum liberiora respiceret, domestico oblectamento contenta. Laudem etiam plausumque propter actionis elegantiam plerumque actores ferebant, indeque æmulatione laudis incendebantur adolescentes, &, quod magis est, ad bene apteque dicendum exercebantur, quæ res nonnullum

64. Convictores actiones comicas edunt. Offensio inde orta.

lum habere uſum, nec vero contemnendum videbatur. Accidit ut ſpectatum advenientibus, ſeſeque confertim intrudentibus e plebe multis, aliqui Procerum inurbanius comprimerentur, alii etiam propter anguſtiam loci excluderentur. Quod neceſſitate, non voluntate factum, tamen

65. *Borgia Comœdias vetat. Convictores graviter perturbantur.*

offenſioni fuit, conqueſtioneſque multas & graves contra Collegium & Moderatores ejus concivit. Quare Borgia, ut mali hujus cauſas in poſterum amputaret, ſcenica id genus ſpectacula, quæ præter externorum iras, ſumptum quoque aliquem, & nonnullam diſciplinæ diſſolutionem afferrent, fieri deinceps vetuit. Impotentiſſime id interdictum accepere Juvenes. Et quamquam parendi neceſſitatem deprecari non potuerunt, non diſſimularunt tamen indignationem atque ægritudinem ſuam. Hinc audiri paſſim querulæ voces, demptum ſibi ſcilicet campum laudis ampliſſimum, & quo maxime delectarentur ſtudiorum levamen dolentium. Et indignum enimvero clamitare, quo tempore omnis ætas ac ſexus genio liberius indulgeret, unos ſe immitibus clathris concluſos haberi ſervorum more, nihil ſibi ad relaxandum animum indulgeri. Nam quæcunque proponerentur alia, ſeu domi, ſeu rure, ſolatia, ſuperbo faſtidio reſpuebant. Rector (erat is Jacobus Corteſonus,

66. *Deliberatur de ſeparandis Convictoribus ab Alumnis.*

vir animo conſilioque promptus) ægre Juventutem ira ac dolore percitam, atque ipſo numero inſoleſcentem, in officio continebat. Verum omnem a Convictoribus Italis oriri perturbationem ſentiens, & deteriora proſpiciens animo, cogitare ſecum, & cum graviſſimis Patrum deliberare cœpit, an non verius eſſet tantam multitudinem, in qua factioſi ac turbulenti deeſſe nunquam poſſent, dividere duas in partes, ſuaque Alumnis relicta domo, Convictores in alteram amandare. Hos certe, qui de ſuo viverent, & Sacerdotii ſanctitatem non ut Alumni profiterentur, nunquam paſſuros ſe iiſdem atque illos legibus coerceri:

Diver-

Diversa autem disciplina regi sub communi tecto Juvenes ætate, ingenio, indole pares, difficile admodum esse, ac periculo non vacare. Quidni ergo separatam in domum transferantur Convictores, & propriis legibus sub proprio Rectore vivant? Ne multa. Consilium probante Borgia, nec dissentientibus Cardinalibus Collegii Patronis, eductum e Collegio Convictorum unum, quasi tentandi vadi causa, transmittit in Seminarium Romanum, nuper, ut vidimus, institutum, id certo futurum sperans ut præeuntem, viamque sternentem quodammodo, cæteri sequerentur. At lusit illum sua spes. Secuti sunt tantum septem, qui primi in eo Seminario Convictores, aliorumque, qui postea tanto numero secuti sunt, veluti antecursores fuere, anno MDLXVII. Reliqui a Germanico divelli nullo pacto potuere. Anni post hæc fluxerant tres, & Cortesono successerat Sebastianus Romæus, mansuetioris ingenii vir, cujus facilitate Juvenes audaciores effecti, atque iterum æstu comico agitati, reddi sibi theatrum, in quo se ostentarent, procaciter petiere. Rector, eblandiri Juventutem cupiens, re nec concessa, nec præcise, uti decuit, negata, quosdam e Patribus in consilium adhibet, qui rebus in utramque partem jactatis, in hanc demum iere sententiam: Adolescentes, per Bacchanalia scholasticis studiis exsolutos, aliquo certe alio studio distinendos videri, quod adjunctum haberet liberale oblectamentum: Nullum actione comica liberalius honestiusque occurrere, & quo magis Juvenes delectarentur. Nihil itaque causæ esse quominus denuo in scenam producerentur Convictores, modo fabulam luderent eruditam, & super hæc, arcendæ causa plebeculæ, latino sermone concinnatam. Nam ad præteritas offensiones quod attineret, eas ab expertis præverti facile posse. Ita ludo scenico honestatis fuco illito, Borgia connivente, Drama sacrum & latinum decre-

66. Aliqui Convictores in Seminarium Romanum transeunt.

67. Agitur de restituendis in Collegio actionibus scenicis.

68. Id impetrant Convictores sub certis conditionibus.

decretum eſt, lætis velut parta victoria Convictoribus, quod rem tantopere concupitam, non tam precibus, quam minis ac pertinacia tenuiſſent. Nihilque jam illis longius videbatur, quam ut optatæ advenirent feriæ, quibus denuo in ſcenam prodirent. Et vero prodiere quo primum licuit die, & ſuam ſinguli perſonam ſcitiſſime agentes, magna ſpectatorum approbatione plauſuque ſunt auditi. At die poſtero, repetendum cum eſſet Drama, eventu nec opinato corrupta omnis hilaritas eſt, nihilque factum propius quam ut in actum vere tragicum fabula verteretur. Nimirum hoc medio tempore Juvenes aliquot e gymnaſio Collegii Romani, ſeu ſua ſponte, ſeu improbi cujuſpiam inſtinctu, quamdam ſibi adornaverant Italica lingua comœdiam, conveneratque ut eam in theatro Collegii Germanici, cum bona Convictorum, ſi liceret, gratia, vel etiam ingrariis eorum agerent, ac diem in id certam, totamque gerendæ rei rationem condixerant. Hi igitur in Collegium per ſpeciem ſpectandi cum veniſſent, paratis ſumma diſſimulatione omnibus queis opus erat rebus, qua cauſa venerint renuntiant, rogantque porro ſibi ut liceat propoſitum exſequi; Et pegma, nec expectato reſponſo, recitaturi conſcendunt. Fremere ad ea Convictores, qui nihil tale eſſent ſuſpicati. Nec mora. Advolant promptiſſimi quique facto globo, ac jurgiis primum, deinde vi pellere injuſtos alieni juris uſurpatores conantur. Non ferunt illi vim, jurgia jurgiis repellunt. Clamore ac tumultu perſonant omnia. Incenſis demum animis, ac rixæ in morem atrocius efferatis, ſtringuntur hinc inde gladii, eo adductis rebus ut ferro dirimenda lis eſſet. Et haud dubie cæde ac ſanguine theatrum funeſtabatur, niſi propere accurrens Patrum qui aderant graviſſimus, furentes auctoritate compreſſiſſet, neutris recitare juſſis. Adeo Juventutis incauta mens eſt, & niſi frænum injicias, præcipiti

69. Factum inſolens, & graves turbæ per cauſam actionis comicæ.

cipiti magis fertur impetu, quam consilio ac ratione ducitur. Periculum utcunque discussum gratulati sunt Patres, ac tum quidem omnia quievere. At Convictores, alte defixam retinentes injuriam, cum ira pudorque versaret animos, truci ac minaci vultu vindictam circumspiciebant. Et Alumni, quamquam ab ea cura sejuncti, tamen, ut in communi causa, partem irarum capiebant. Angebatur Romæus Rector, cui pax & quies domestica longe rerum omnium antiquissima, nihilque non agebat quo ferocientes, paratosque ad omne facinus demulceret. Pacatis ad extremum rebus, tamen ipse perturbatus, inquies, metuensque deteriorum, rediit ad priora consilia de amovendis Convictoribus, quorum maxime causa has commoveri turbas cerneret. Rem perurgebat Borgia, caute tamen, uti solebat, ac tacite, ne acerbius irritarentur Juvenes, quibus fixum erat a Germanico nunquam discedere. Nec nihil moræ afferebant multi Præsulum Procerumque, quibus affinitate, aut quo alio jure Juvenes attingentibus, idem sedebat. Et ipse Pontifex, ea de re consultus, haud facilem se præbebat, & negotium ampliabat. Dum ergo nectuntur aliæ ex aliis moræ, resque in longum protrahitur, incidit mors Pii Pontificis, quæ Gregorio XIII., novo Collegii Fundatori ac Parenti optimo locum dedit anno MDLXXII., exactis a prima ejus institutione annis XX. Hoc porro toto tempore, quantum ex monumentis colligere potui, Alumni sunt numerati haud plures centum & sexaginta, quidam etiam Germanis admixti Angli, Hungari, Pruteni, Poloni, at bono publico addicti plerique, deque Catholica re insigniter meriti, quorum nos libro tertio mentionem faciemus. Hoc loco liceat mihi eos tantum commemorare, qui ex Collegio transgressi in Societatem Jesu, non Collegium minus quam Societatem pietate, litteris, ac rebus gestis illustravere. Primus in his

70. Rursum agitur de removendis Convictoribus, sed nullo effectu.

71. Mors Pii V. Pontificis. Numerus Alumnorum a prima Collegii institutione usque ad hoc tempus.

72. Alumni quidam præstantes in Societatem transgressi.

Pau-

73. Paulus Hoffæus. Paulus ille Hoffæus fuit, de quo & Petro Canisio sapientissimum Bojorum Ducem Albertum dicere solitum accepimus quod de Principibus Apostolorum usurpat Ecclesia, *Petrus Canisius & Paulus Hoffæus ipsi nos docuerunt legem tuam Domine*. Adeo quod in Bavariam e proximo non irrepsisset impura superstitio Lutheri, huic hominum pari ferebatur acceptum. Hoffæus, Bingæ natus in Moguntina Diœcesi, cum insigni doctrina parem prudentiam solertiamque jungebat. Itaque Theologiam cum docuisset Bononiæ, & Jus divinum Viennæ, ab exedra ad præfecturas traductus, Collegia plura Germaniæ, totamque adeo Germaniæ Superioris Provinciam rexit. Romæ suffragiis Patrum, qui ad Comitia convenerant, Claudio Aquavivæ in administranda Germanica Societate adjutor (Assistentem dicimus) datus est. Quo perfunctus ad decem annos munere, rediit in Germaniam, atque Ingolstadii non

74. Henricus Blyssemius. annis minus quam meritis onustus occubuit. Hoffæo prope geminus fuit Henricus Blyssemius, patria Coloniensis. Eum certe e Collegio in Societatem secutus, pari tuendæ Catholicæ disciplinæ studio est æmulatus. Alumnorum primus Theologiæ Doctor creatus est. Ab ipso B. P. Ignatio cooptatus in Societatem, Collegii Pragensis fundamenta jecit, eique diu præfuit. Totius deinde Provinciæ Austriacæ magistratum cum eximia laude gessit. Ad extremum Græcii, ubi recens institutam Academiam moderabatur, magno domi forisque luctu decessit, clarus eruditis aliquot libris, quos contra novos hæreticorum errores con-

75. Stephanus Arator. scripsit. Ex eodem numero fuit Stephanus Arator, natione Hungarus, quem memorant variis disputationibus hæreseos magistris quadraginta vocem inclusisse, ac semel tercentum ex ipsis, Varasdini in sua, ut vocabant, Synodo congregatos ad disputandum provocasse, ac pudore oppletos reliquisse, nemine e tam multis invento,

qui

qui unius provocationem acciperet. Addendi his Hermannus Thyræus, Novesii in Ubiis natus, & Joannes Gibbonus gente Anglus, duo hæreticorum acerrimi insectatores, quorum adversus hæresim præclara ingenii ac doctrinæ monumenta etiam nunc exstant. Thyræus præter singularem doctrinam, quam tradendis Ingolstadii ac Treviris altioribus disciplinis explicuit, regendis Collegiis ob prudentiæ magnitudinem fuit adhibitus, ac totam Rheni provinciam administravit. Obiit Moguntiæ, ac funere apparatissimo elatus est, viri jacturam tota complorante civitate. Gibbonus pingui Sacerdotio donatus fuerat, quo vitam sat commode posset exigere. Verum ipse, abdicato Bonnensi Canonicatu, Christi crucem amplecti in Societate maluit. Treviris Professor Theologiæ primum, deinde Præfectus studiorum, postremo Rector Collegii fuit, ibique diem clausit extremum. Tacendi non sunt Justus Rabus Polonus, & Fabianus Quadrantinus Prutenus, qui licet ab infantia pravis opinionibus innutriti, deinde hæreticorum primipilos inito sæpe certamine ad silentium adegere, eorumque scripta virulenta scriptis eruditissimis confutavere. Rabus multarum vir litterarum, cum res ferebat, non Polonice solum, sed Latine, Græce, Germanice, Italice, Gallice loquebatur, adeo expedite, ac si vernacula lingua uteretur. Parisiis, Brunsbergæ, Vilnæ, Posnaniæ, Lublini, Claudiopoli humanas divinasque litteras tradidit. Sacra expeditione in Valachiam suscepta, ibi magnam molestiarum molem toto triennio pertulit. Sigismundo Regi Poloniæ a sacris confessionibus fuit. Demum Cracoviæ, ubi ante annos septuaginta ex nobili & opulenta familia natus erat, vivere desiit. Quadrantinus, e Lutherano Catholicus factus, prius quam Societatem ingrederetur, palinodiam cecinit, revocavitque quos antea combiberat errores publico scripto, quod Coloniæ una cum epistola quadam Hosii

76. Hermannus Thyræus, & Joannes Gibbonus.

77. Justus Rabus, & Fabianus Quadrantinus.

Cardinalis est editum. Posnaniæ Theologiam ac Fidei controversias docuit. Annæ Austriacæ Poloniæ Reginæ conscientiam diu rexit, apud eamque mire gratiosus fuit, simul divini verbi ministerio pietatem inter aulicos ferens. At in magno adhuc robore ætatis, annos natus tantum sex supra quinquaginta, Brunsbergæ excessit e vita. Alii præterea multi ex eodem fuere numero, doctrina ac sanctimonia præstantes viri, sed longum esset recensere singulos. Tunc enim in Societatem multi se recipiebant, nondum Alumnis aditu in ordines religiosos, quod postea factum est, intercluso. Et nos eos maxime commendatos volumus, qui cum apud se viverent nullis adstricti Religosorum legibus, nihil minus pietate, doctrina,

78. Quales redirent in Germaniam Alumni. Ubi quædam generatim de eorum moribus.

ac religionis studio eminuere. Hi ergo cum redibant in Germaniam Juvenes, non est dictu facile quantum continuo sermonem popularibus suis darent, quanta deinde rerum ac consiliorum commutatio in urbibus eorum oppidisque fieret. Fuit ubi familiæ integræ, quæ paulo ante ad Lutherum fœde defecerant, post Alumnorum adventum, ejurato Luthero, ad Sacra Catholica rediere. Primo enim, etsi verbum hi facerent nullum, aspectu ipso, ac vitæ incorruptæ exemplo, a fastu luxuque atque omni intemperantia longissime abhorrentes, contaminatos gregalium mores tacite perstringebant, atque eo efficacius, quod tantam innocentiam, integritatem, pietatem, non exteri aliqui, non senes decrepiti, non horridioris aspectus cucullati, sed cives, sed domestici, sed florenti ætate Juvenes præ se ferrent. Sive autem rem divinam facerent (& eodem omnes ritu, Romano scilicet, factitabant), seu familiares sermones miscerent cum amicis, sive in publicum prodirent tantum, ac se conspiciendos præberent, ex modestia gravitateque ipsa Romæ educatos quisque agnoscebat, ac de Roma, de Pontificia majestate,

de


de Catholica disciplina rectius sentire cogebatur. Qua semel facta animorum inclinatione, levi deinde momento pellebantur homines ut in fidem Romani Pontificis se referrent. Disrumpebantur ira ac pudore hæc intuentes partium hæreticarum duces, at nihil habentes quod contra 79.
dicerent, hiscere non audebant. Sed non exemplo tantum, quod silentium eloquens scite dixeris, sed voce etiam atque omni labore industriaque hæresim, ut in aperta belli denunciatione, Alumni impetebant, multisque mortalium errorem, qua privatis, qua publicis sermonibus, e plano juxta ac superiore loco dicentes, eximebant. Tanta enim cum florerent doctrinæ virtutisque fama, expetebantur certatim ab Episcopis, atque alii Concionibus habendis, alii Paræciis administrandis, alii Juventuti in scholis erudiendæ adhibebantur. Quidam etiam per Diœceses ad faciendam Divini verbi sementem, revellendasque malas novorum dogmatum stirpes, circummittebantur. Omnes opus Apostolicum, pro sua quisque parte, magno pietatis proventu faciebant. Verum ampliora hæc sunt, quam ut sic cursim leviterque attingenda videantur. Ea itaque omissa in præsens, proprium in librum congesta, ac paulo distinctius pertractata, infra subjiciemus.

Indicantur labores eorum Apostolici.

EXEMPLUM CHARTÆ PERGAMENÆ

In qua Julius III. & Cardinales, qui Romæ aderant, scripto professi sunt quid quisque esset collaturus ad sustentationem Collegii Germanici, descriptum ex autographo. Nomina Cardinalium fuerant prius suo ordine exarata.

AD TAM SANCTUM, PIUM, ET LAUDABILE OPUS CONFEREMUS QUOLIBET ANNO QUINGENTOS AUREOS.



OStien. Vestigia Sanctissimi D. N. insequendo conferam quolibet anno aureos 100. Jo. D. Card. Ostien.

Portuen. Ego Jac. Episcopus Portuen. conferam quolibet anno aureos centum.

Tusculan.

Prænestin.

Turnon. Ego Card. Episcopus Sabinus conferam 80.

Parisien. Ego Jo: Bellajus conferam anno quolibet aureos 150.

Giury.

Carpen. Ego R. Card. de Carpo conferam quadraginta.

S. Jacobi. Ego Jo. Card. Compostellan. conferam quolibet anno 100.

Lenoncourt.

Meudon.

S. Crucis. Ego M. Card. S. Crucis conferam octoginta aureos.

Silvius.

Moronus. Ego Card. Moronus conferam decem aureos singulo quoque mense.

Tridentin. Ego Card. Tridentinus conferam decem aureos singulo quoque mense.

Armeniacus. Ego Georgius Cardinalis conferam aureos quinque singulis mensibus.

Burgen.

De Hannebaud.

Augustan. Ego O. Card. Augustanus conferam centum & viginti.

Cueva. Ego B. Card. de la Cueva offero quolibet anno centum & viginti.

Cesis. Ego Fridericus Card. Cesius conferam quolibet anno scuta centum.

Durantes.

Portugallen.

Paciecus. Ego P. Card. Giennen. conferam quolibet anno centum.

S. An-

S. Angeli. Ego R. Card. S. Angeli conferam quolibet anno scuta 120.
Guisa, *alias Lorena*. Ego C. Card. de Lotharingia conferam quolibet mense scuta viginti.
Verallus. Ego H. Card. Verallus conferam quadraginta.
Medices. Ego Jo. A. Card. de Medicis dabo singulis annis scuta 50.
Maffæus.
Vandomius.
Crispus. Ego Ti. Card. Crispus conferam 25. aureos.
Massilien.
Perusin. Ego F. Card. Perusin. conferam centum aureos.
Saracenus.
Montepolitian. Ego Jo. Card. S. Vitalis conferam quadraginta.
Messanen.
Puteus.
Campegius. Ego A. Card. Campegius conferam quadraginta.
Fanen.
Mignanellus.
Poggius. Ego Jo. Poggius conferam 40.
S. Clementis. Ego Jo. B. Card. S. Clementis conferam quadraginta.
Imolen.
Pighinus.
Pisanus.
Mantuan.
Auria.
Castillionus.
Farnesius. Ego A. Card. de Farnesio conferam quolibet anno aureos centum viginti.
Sancta Flora. Ego G. As. Card. Camer. conferam aureos 120. quolibet anno.
Polus. Ego Reg. Card. Polus conferam centum aureos.
Sermoneta. Ego N. Card. de Sermoneta conferam quinquaginta aureos.
Ferrarien. Ego Hip. Card. Ferrarien. conferam centum. & quinquaginta aureos quolibet anno.
Sabellus. Ego Ja. Card. Sabellus conferam quadraginta.
S. Georgii.
Urbinaten. Ego Ju. Card. Urbin. conferam aureos centum viginti quolibet anno.
Monte. Ego In. Card. a Monte conferam aureos ducentos.
Cornelius. Ego Aloy. Card. Cornelius conferam aureos quadraginta.

BULLA JULII III.

DE ERECTIONE COLLEGII GERMANICI.

JULIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

DUM sollicita considerationis indagine perscrutamur, quam sit pretiosum sapientiæ & scientiæ donum cum probitate vitæ conjunctum, & quod per illud (illo largiente, a quo procedit omne datum optimum, omneque donum perfectum derivatur) ignorantiæ & vitiorum tenebræ profligantur, errores tolluntur, & mortalium actus in lumine veritatis disponuntur; solliciti reddimur & solertes, ut literarum simul & Christianæ pietatis studia, ex quibus divina cooperante gratia acquiritur scientiæ cum caritate conjunctæ margarita, ubilibet, in illis præsertim locis, quæ ad ferenda, irriganda, & multiplicanda studia hujusmodi idonea & accommoda esse dignoscuntur, salubria incrementa suscipiant.

§. 1. Hinc est, quod Nos attendentes quanta sit fidelium & strenuorum operariorum penuria, præcipue in illis regionibus, ubi cultus veræ religionis per

per varias hæreſes maxime imminutus, & Catholicæ ac ſanæ doctrinæ, necnon vitæ lumen multis errorum tenebris obſcuratum eſt, quantumque Chriſtianæ Reipublicæ & Fidei Orthodoxæ conducat, ut militans Dei Eccleſia ubique, & præſertim in Germania, viris exemplari vita & literarum ſcientia præditis, quorum opera veritatis lumen protendi, & illud obumbrare nitentes diſſipari valeant, in dies abundet; Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera deliberatione & certa ſcientia noſtris, ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac ipſius militantis Eccleſiæ exaltationem, & Germaniæ ſpirituale auxilium, in alma Urbe noſtra, & loco ad id convenienti & apto per infraſcriptos Protectores aſsignando, unum Collegium Scholarium Germanicum nuncupandum, cum dote, Eccleſia vel Cappella, in qua Miſſæ & alia divina Officia, juxta providam ordinationem eorum, qui Collegii gubernationem ſuſcipient, celebrentur, necnon ſtructuris, ædificiis, cameris, & locis, ac dote ſimili Collegio convenientibus & neceſſariis, in quo aliquot Nationis Germanicæ Juvenes dociles & bonæ indolis, &, ſi fieri poſsit, jam aliqua bonarum artium & ſinceræ doctrinæ principia habentes, Deum timentes, & religionem zelantes, ex Regionibus, Provinciis, & locis Germaniæ educendi, inſtituantur & alantur, ac bonis & ſanctis moribus imbuantur, necnon litterarum & piæ vitæ ſtudio continuo vacent, ſub magiſtris ſive præceptoribus eis per dilectos filios Societatem de Jeſu nuncupatam conſtituendis, qui litteras humaniores trium linguarum Latinæ Græcæ & Hebraicæ, ac Logicam, Phyſicam, & alias liberales diſciplinas, & demum Sacram Theologiam publice legant & doceant, & alias ipſorum Scholarium curam, regimen, & adminiſtrationem, in his, quæ ad morum integritatem, & verbi Dei prædicationem ac explicationem, & ad officium Chriſtiani Paſtoris, necnon bene beateque vivendum pertinent & ſpectant, ſuſcipiant, & nullis parcendo laboribus, quantum in eis fuerit, ædificent, & divina præcepta eorum animis infigere conentur, & tales ſe erga eoſdem Scholares exhibeant, ut ipſi tandem divinæ legis capaces, necnon ætate, doctrina, & probitate maturi, poſtquam de Beneficiis Eccleſiaſticis competenter proviſi fuerint, tamquam intrepidi Fidei athletæ, in ſuas regiones, ad alios exemplo vitæ ſuæ ad Chriſtum trahendos, &, qui id talentum acceperint, ad verbum Dei prædicandum & docendum, curam animarum ſibi commiſſam ad Dei laudem & gloriam ac ſpiritualem fidelium profectum exercendum & adminiſtrandum, necnon hæreſum latens venenum deprehendendum, & errores apertos convincendum & reſecandum, ac denique Fidem ipſam totis viribus defendendum, ac verbo & exemplo ampliandum, &, ubi exſtirpata fuit, denuo plantandum, cum animarum ſalute, remitti & deſtinari poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium erigimus & inſtituimus.

§. 2. Necnon dilectos filios noſtros Rodulphum Sanctæ Mariæ trans Tiberim de Carpo, & Joannem Sancti Pancratii Compoſtellanum, ac Marcellum Sanctæ Crucis Cervinum, & Joannem Sancti Stephani in Cœlio Monte Moronum, necnon Othonem Sanctæ Sabinæ de Auguſta, & Jacobum Sancti Simeonis Titulorum de Puteo nuncupatos S.R.E. Presbyteros Cardinales, ipſorum Collegii & Scholarium Protectores & defenſores, ad quos vel aliquem Societas hujuſmodi poſſit pro conſilio & auxilio in his, quæ ad commiſſam ſibi curam pertinent, recurrere; quique adducendorum hujuſmodi Scholarium, & poſt ſtudia remittendorum, & quamdiu in Collegio manebunt ſuſtentan-

do-

dorum, curam habeant, auctoritate & tenore prædictis constituimus & deputamus.

§.3. Necnon Collegium præfatum, ac illius Scholares & Magistros seu Præceptores Rectores & Gubernatores pro tempore existentes, eorumque bona mobilia & immobilia, cujuscumque qualitatis & quantitatis exsistentia, & in dicta Urbe & alias ubilibet consistentia, ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, & potestate pro tempore exsistentium Senatoris, Consulum, & Conservatorum ac Reformatorum dictæ Urbis, nec non Rectoris Studii generalis ejusdem Urbis, ac aliorum quorumcumque Judicum, Officialium, & personarum in dicta Urbe & alias ubilibet constitutorum, illaque, ac in propriis eorum rebus & bonis cum eis contrahentes, a solutione & exactione quorumcumque pedagii, gabellæ, bollettini, decimarum, & cujusvis alterius tam ordinarii quam extraordinarii oneris in dicta Urbe, & alias ubique locorum, & ex quacumque causa impositorum & imponendorum eximimus & totaliter liberamus, ac sub Beati Petri & Sedis Apostolicæ atque Nostra protectione suscipimus, Nobisque & dictæ Sedi immediate subjicimus, ac liberos, immunes, exemptos, susceptos, & subjectos, immuniaque & exempta fore & esse, & ita per quoscumque Judices quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere;

§.4. Nec non qoidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus & declaramus.

§.5. Ipsisque Collegio, Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus, ut omnibus & singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & indultis, quibus Studium generale Urbis hujusmodi & illius Rector præfatus necnon Doctores & legentes in eo quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed æque & pariformiter uti, potiri, & gaudere possint in omnibus & per omnia, concedimus & indulgemus, & illa eis communicamus.

§.6. Necnon Senatori, Consulibus; Conservatoribus, Reformatoribus, Rectori, & aliis Judicibus, Officialibus, & personis prædictis, ac moderno & pro tempore exsistenti S. R. E. Camerario, Præsidentibus & Clericis Cameræ Apostolicæ, ac quibusvis Commissariis super exactione decimarum & aliorum onerum prædictorum pro tempore deputatis, sub indignationis nostræ pœna, ne, prætextu quarumcumque Litterarum eis sub quibuscumque tenoribus & formis pro tempore concessarum, Collegium, Scholares, Rectores, & Gubernatores præfatos, seu eorum aliquem super præmissis quomodolibet molestent, seu molestari permittant, districtius inhibemus.

§.7. Et insuper Regentibus & Superioribus dicti Collegii pro tempore exsistentibus, assistentibus præfatis Protectoribus, seu aliquibus ex eis, aut de eorum consilio, & expresso consensu, illos, quos in dicto Collegio & alibi per tempus debitum studuisse, ac scientia & moribus idoneos esse repererint, in prædictis facultatibus ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, & Doctoratus, ac Magisterii gradus, servata alias forma Concilii Viennensis, juxta Universitatis ejusdem Urbis consuetudinem, seu alias, promovendi, & ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi, quodque in facultatibus supradictis sic promoti illa legere & interpretari, ac in eis disputare, & quoscumque gradui seu gradibus hujusmodi convenientes actus exercere,

& alias

& alias omnibus & singulis privilegiis, gratiis, favoribus, prærogativis, & indultis, quibus alii in prædicta seu aliis Universitatibus & alibi, juxta illius vel aliarum Universitatum hujusmodi constitutiones & mores, ad gradus prædictos promoti de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere possint & debeant in omnibus & per omnia, ac si gradus prædictos in ipsa Universitate, juxta consuetudines & mores prædictos, suscepissent, concedendi & indulgendi:

§.8. Necnon pro felici implemento, & salubri directione ac conservatione dicti Collegii, illiusque bonorum & rerum ac jurium tam temporalium quam spiritualium, quæcumque statuta & ordinationes rationabilia & Sacris Canonibus non contraria faciendi & edendi, ac revocandi, immutandi, corrigendi, & super illorum observatione quascumque pœnas imponendi; quæ, postquam facta, edita, revocata, immutata, & correcta fuerint, eo ipso auctoritate prædicta approbata & confirmata sint & esse censeantur; & juxta eorum dispositionem, sublata quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernendi; omniaque & singula alia in præmissis & circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi & exsequendi, plenam & liberam, auctoritate prædicta tenore præsentium, facultatem & potestatem concedimus.

§.9. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Urbis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, necnon privilegiis, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Senatori, Consulibus, Conservatoribus, Reformatoribus, Camerario, Universitatibus, ac earum Collegiis, Rectoribus, Scholaribus, & personis, & aliis præfatis, necnon præfatæ Urbi & Populo Romano sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis: quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & exprese derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.10. Volumus autem quod præsentium transumptis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra, ac alias ubilibet, ubi opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ erectionis, institutionis, constitutionis, deputationis, susceptionis, subjectionis, decreti, declarationis, concessionis, indulti, inhibitionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, Pridie Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno III.

JA. CARD. PUTEUS. Jo. Larinen.

L. de Loro.

Loco ✱ Sigilli pendentis

Registrata apud Joannem Secretarium.

CON-

CONSTITUTIONES COLLEGII

AB IPSO S. IGNATIO CONSCRIPTÆ.

HUjus Collegii constitutiones in tres partes distribuentur. Ac primo quidem loco eorum fiet mentio, quæ debent in Germania observari in eligendis Scholasticis, qui sint ad hoc Collegium mittendi. Deinde leges præscribentur, juxta quas vita Scholasticorum in ipso Collegio dirigatur. Tertio loco ea explicabuntur, quæ servanda erunt, cum Scholastici, confecto studiorum suorum curriculo, in Germaniam remittentur.

§. I.
Observanda iis, qui ad Collegium Germanicum mittendi sunt.

1. UT gravioribus periculis, & vehementius nunc surgentibus primum occurratur, illud, hoc saltem tempore, statuatur, ut omnes in Collegium recipiendi, aut maxima eorum pars, sint ex Superiori Germania, atque in ipsa Germanica lingua exercitati: nisi Helvetii, Frisii, Geldrenses, Clevenses, & ex aliis Septentrionalibus Regionibus aliquot admittendi censeantur, quod hæ Regiones, ut & Superior Germania, hæresum morbis videantur laborare.

2. Eligantur Juvenes, ad summum qui viginti unum, ut minimum vero quindecim annos compleverint, & ejusmodi, ut spes sit, non esse eos duros nec intractabiles futuros, sed faciles & flexibiles, ut Christianos mores cito possint imbibere. Nec vero refert magnopere vigesimum primum annum excessisse, si eluceant in Juvene alia Dei dona, quæ ætatem abunde compensent: & hoc judicium Rectoris prudentiæ relinquetur.

Sint integri ac sano corpore, & q[illegible] honestatem & bonam indolem referat. Ingenio & judicio bono præditi sint. Linguam autem habeant expeditam & decoram, ad munus illud cui destinantur recte gerendum, ad proponendum, inquam, in lectionibus vel concionibus Dei verbum, & alios privatis vel publicis colloquiis instituendos; ut non exemplo vitæ modo, sed etiam sermone proximos suos ædificent.

4. Sint bonis moribus, aut certe ea indole præditi, quæ spem faciat bonos illos & studiosos futuros: quod intelligi ex bonorum virorum testimoniis poterit.

5. Nemo, qui Religionis semel susceptæ habitum deseruerit, admitti possit.

6. Omnes promittant, sub obedientia Summi Pontificis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & in Religione Catholica, se quamdiu vixerint futuros.

7. Habeant in animo, & constanti voluntate proponant, tum vitam se (siquidem in Collegium recepti fuerint) Ecclesiasticam acturos, & sacros omnes Ordines suscepturos, quandocumque id per Illustrissimos & Reverendissimos Protectores fuerit injunctum; tum in Collegio tamdiu perseveraturos, donec finem suis studiis imponant, & idonei censeantur qui in Germaniam ad laborandum in vinea Domini ablegari possint. Quoniam autem hic finis est, cujus gratia Collegium hoc Germanicum est institutum, magna cautio adhibebitur, ne quis huc mittatur, qui non se ad servandum hoc statutum firma promissione obstrinxerit.

8. Quod ad reliquas conditiones attinet, hoc tantum in genere præscribitur, ut eo quisque aptior ad hoc Collegium existimetur, quo majores in litteris & virtutibus progressus fecerit, vel quo pluribus animi & corporis, ac exterioribus ornamentis abundare, & meliorem sui exspectationem excitare videatur.

9. Deputabuntur etiam per eosdem Illmos & Rmos Protectores, qui Germanicos Juvenes ita Romam mittant, ut commeatum pauperibus suppeditent, & omnibus de commoda societate prospiciant: quibus illud etiam curæ sit, ne quemquam in Urbem mittant, qui eam ingredi non possit ante finem mensis Maji, aut post initium mensis Octobris, ut tuendæ valetudinis eorum, qui mittentur, ratio habeatur.

10. Deputabuntur per Illmos & Rmos Protectores, qui in Germania Juvenes idoneos, & necessariis conditionibus instructos inquirant, quibus leges in Collegio observandæ proponantur. Nec ullus admittatur, qui non se paratum esse significet & testetur ad observanda cuncta, quæ fuerint proposita.

11. Cum primum aliquis ex Scholasticis Romam pervenerit, Rectorem Collegii adibit, qui postquam illum diligenter examinaverit juxta Constitutiones has, ad Illmos omnes Protectores, aut aliquem ex illis de eo referet, ut judicent, admitti ne illum, an excludi oporteat. Et sic demum, post abjurationem omnium hæresum, in Collegium recipi poterit.

§. II.

Constitutiones in ipso Collegio servandæ.

12. Principio admoneantur omnes, Collegium in eum finem erectum esse, ut alantur in eo & instituantur qui Germaniæ necessitatibus spiritualibus, pro talento quod Dei benignitate susceperint, opitulentur. Proinde nemini futurum integrum ex eo discedere, vel aliam conditionem vitæ amplecti, absque facultate Illmorum & Rmorum Protectorum, penes quos potestas erit illos cum Beneficiis Ecclesiasticis mittendi, cum commodum videbitur, ad colendam Domini vineam in iis locis, in quibus spes sit, eorum opera & labore fructum uberiorem percipiendum. Promissionem itaque hujusmodi omnes facient, & qui hanc legem violaverint semel in Collegium admissi, præter quam quod in gravem Dei indignationem incurrent, intelligant etiam se gravioribus censuris & pœnis subjacere.

13. Quoniam autem ea demum utilis & salutaris doctrina est, quæ pietatis habet fundamentum, nec tam decet Christianos Scholasticos de progressu in scientiis, quam de profectu in spiritu esse sollicitos; sub ipsum ingressum in Collegium de rebus spiritualibus, quæ in primis opportunæ videbuntur ad tuendam animi puritatem una cum timore Domini, & ad tollendam mentem in ipsum Dominum, spatio octo aut decem dierum instruentur, ut sancta paucorum dierum consuetudine assuefacti, lubenter reliquo tempore portiunculam aliquam diei in conscientiæ suæ examinatione & piis orationibus aut meditationibus, prout edocebuntur, collocent.

14. Singulis diebus Missæ sacrum devotis & attentis animis audient. Singulis diebus Dominicis & festivis in Dei laudem ad Officium præscriptum simul dicendum mane & vespere convenient, & prædicationi ac lectioni verbi Dei, prout iis injungetur, intererunt.

15. Singulis vero mensibus semel saltem ad sacram Eucharistiam, facta prius humili peccatorum Confessione coram iis Sacerdotibus, qui ad audiendas illorum confessiones instituentur, reverenter accedent.

16. Quod ad studiorum rationem & litterarias exercitationes attinet, nemo suum sensum & voluntatem sequatur; sed permittat se potius Rectoris judicio & arbitrio gubernari. Illi enim curæ erit, juxta sententiam Illustrissimorum & Rmorum Protectorum, ac Præpositi Societatis Jesu, cui ea cura demandata est, singulis præscribere, primum ea studia in quæ ipsos incumbere; & auctores, quibus potissimum operam dare

dare conveniat; deinde tempus, quod in quoque studio poni debeat; tum modum & rationem in ipsis studiis retinendam. Curabit etiam ille, ne quidquam ulli desit, quod ad profectum studiorum necessarium videatur.

17. Nemo nec domi nec extra domum, nisi conscio & approbante Rectore, cum quoquam sermone vel scripto conversabitur; ut ita demum caveatur ne colloquia misceantur cum illis, a quibus inquinari & corrumpi potius, quam juvari vel eosdem juvare possint. Quare nulli etiam exire domo licebit, aut postquam exierit quoquam progredi, inscio Rectore, & absque comite eo, quem ipse Rector adjunxerit. In domesticis porro officiis & actionibus, & breviter in iis omnibus, quæ ad utilem & salutarem Scholasticorum in doctrina & pietate institutionem pertinebunt, tanta eorum erga Collegii Rectorem obedientia semper constare debet, ut alacri sua promptitudine cognoscere se ostendant, non tam homini parere se, quam Deo, qui per ipsum Rectorem, tamquam per instrumentum suum, eos gubernare dignatur, a quo etiam existimabunt illas se admonitiones & increpationes accipere, quas a Rectore audierint, nec non & pœnitentias, quas nonnunquam ad corrigendos leviores ipsorum lapsus injunxerit. Nam de gravioribus nihil hic dicimus, nec etiam timendum est umquam futurum, ut in tam sancta societate gravia crimina ulla admittantur, quæve magnum aliquod offendiculum aliis afferant. Verum si id aliquando (quod Dominus avertat) acciderit, auctores protinus ex domo, tamquam contagiosæ oves, expellantur, ne reliquos inficere possint.

18. Singuli singulos, in quibus dormiant, habeant lectos.

19. Victus erit conveniens, nec ullus in eo peculiaris erit delectus, nisi qui apud omnes Catholicos servari consuevit. Nullis etiam aliis jejuniis, quam iis quæ Ecclesia indicit, quisquam adstringetur; & ne ad illa quidem, qui per ætatem vel corporis infirmitatem non teneretur. Licebit tamen cuique adjungere ex propria devotione quæ velit, modo id sciente & consentiente Rectore faciat.

20. Vestitus erit honestus, & qui deceat viros Ecclesiasticos; ita ut omnes pileum clericalem, & externam vestem talarem gestent, quæ eam habeat formam, quam maxime convenire Illmi & Rmi Protectores judicaverint.

21. Nulli liceat ullas apud se pecunias habere, sed quascunque vel Scholastici ipsi attulerint, vel amici aut cognati ad eos miserint, Rector, tamquam depositarius, ad ipsorum peculiares sed necessarios usus servabit, absque cujus licentia nemo neque libros neque ullam aliam rem emere audebit.

22. Danda est opera a Rectore, ut quicunque in Collegio fuerint, multis utilibus exercitationibus assidue excolantur; utque non tantum scribendo & inter se conferendo, aut disputando, verum etiam docendo & concionando exerceantur; denique ut illa ferre arma & regere assuescant, quorum præsidio uti eos aliquando ad suorum spiritualem salutem (quæ ab immanissimis hostibus oppugnatur) vindicandam & defendendam oportebit.

23. Curabitur quoque ut certis temporibus honestæ ipsis Scholasticis relaxationes concedantut, quæ & remittendis animis, & corporum valetudini tuendæ conducant.

§. III.

Statuta servanda cum aliqui ex Collegio in Germaniam remittuntur.

24. NUllus ex iis, qui in Collegio fuerint educati, in Germaniam amandabitur, quin prius ad Illmos & Rmos Protectores per Rectorem, aut aliquem alium de Societate Jesu referatur, & eis constet de non pœniten-

do ejus in bonis moribus & doctrina profectu, ac quod merito sperari possit futurum eum utilem populo illi, ad quem mittitur, bonumque aliquem fructum in Dei gloriam & animarum salutem ex ipsius labore percipiendum.

25. Ipsis vero Illmis & Rmis Protectoribus incumbat, pro cura quam suscipere dignati sunt, providere, ut Ecclesiastica Beneficia ipsis Scholasticis, juxta rationem talenti & dignitatis cujusque, conferantur; & prospicere ad quem potissimum populum quemque mitti conveniat, spectato tantum augmento divinæ gloriæ, & ipsorum populorum necessitate. Considerabunt etiam illi, an expediat aliquos in universam Germaniam mitti, & nullis certis urbibus destinari, ut medicinam nunc uni parti nunc alteri adhibeant, ut judicaverint morbi rationem exposcere.

26. Discedentibus in Germaniam, si nullos illi proventus ex suis Sacerdotiis perceperint, & commeatu omnino destituantur, Collegium ipsum viaticum impertietur, & omnia caritatis signa demonstrabit, ut optimum & Christianissimum opus parem principiis & progressui exitum habeat.

LIBER

LIBER SECUNDUS

Germanici Collegii instauratio, & Hungarici institutio sub Gregorio XIII. Ubi quædam de primo Rectore Michaele Lauretano.

GRegorium XIII. Collegii hujus Conditorem Parentemque vulgo haberi, atque hoc passim nomine compellari, mirabitur nemo, nisi qui forte ignoret quantum ad ejus amplitudinem, dignitatem, firmitatemque contulerit; Quod certe tale est, ac tantum, ut non tam conservatum ab eo, atque instauratum, quam ex integro conditum videri, dicique debeat. Nam & sedem ei certam, & amplos reditus, & leges, & privilegia attribuit, & denique Collegium ipsum ita ordinatum, auctum, ac rebus omnibus ad perennitatem constabilitum reliquit, ut Ignatii vaticinio, de quo supra memoratum est, fidem affirmaverit. Jam hæc quemadmodum facta transactaque sint, nos hoc libro breviter evolvendum suscipimus. Gregorius ergo, qui Hugo Boncompagnus antea dicebatur, Pontifex factus, principio alia omnia quam Germanorum Collegium cogitabat, in eam maxime curam intentus, ut susceptum a Pio Decessore suo sacrum piumque bellum urgeret adversus Turcam, recenti ad Echinadas navali prælio attritum, atque animo consternatum, qui si paulo acrius premeretur, & victoriæ cursum Christiani prosequerentur, haud vana debellandi spes erat. Et jam tractis in sociale bellum, præter Hispaniæ Regem, Venetis, aliisque Italiæ Principibus, & ad Pontificias adjunctis eorum viribus, magnam paraverat classem longarum navium, milite, atque omni belli copia instructam, in Turcicam expeditionem ituram: Cum tantum belli apparatum orta inter Duces

1. Gregorius XIII. Collegii fundator merito dictus.

2. Bellum parans adversus Turcam incepto absistere cogitur.

Duces ex dignitatis æmulatione discordia turbavit, sacrum fœdus abrupit, classemque ipsam fœde dissipavit, nulla relicta spe denuo in posterum coalituram. Id acerbissime ferens Pontifex, dolebat tam levi de causa ita corruptam occasionem pulcherrimam gerendæ rei, quæ si successum haberet, haud dubie redituram ad obedientiam & fidem Ecclesiæ Romanæ gentem Græcorum, post tam longum inveteratumque dissidium, confidebat. Ac sæpe ea de re, ut se dabat occasio, querebatur. Forte fortuna in eumdem sermonem devenerat cum Cardinali Truchsessio, Episcopo Augustano, qui negotii cujuspiam causa aderat, viro apud ipsum mire gratioso; Atque is, petita reverenter, factaque sibi dicendi quæ vellet, quæque sentiret facultate, se vero, ait, si sui res esset arbitrii, minus de Græcorum fide arque obsequio, re prope jam desperata, fore sollicitum, magisque ad gentem Germanorum, quæ periculo quidem proxima esset, spem tamen aliquam rerum meliorum adhuc ostenderet, curas ac studia conversurum. Recenti nimirum malo Germaniam laborare, Græciam inveterato. Illi salutaria futura quæ adhiberentur remedia, non item huic, quam diuturnitas ipsa morbi, ac longa possessione roborata mali vis faceret incurabilem. Denique faciliorem videri trajectum alpium ad juvandam Germaniam, quam Ægei maris ad Græciam vindicandam. Perplacuit oratio Pontifici. At quod tandem, inquit, consilium das, quod ex usu Germaniæ futurum sit? Cui Cardinalis: Opportune frequentes in Urbe sunt Patres Societatis Jesu, ad sui Comitia Ordinis convocati, (nam decesserat eodem anno MDLXXII. Franciscus Borgia summus Societatis Præses, ac de successore agebatur), estque præ aliis ille Canisius, notissima vir doctrina ac pietate, quo rerum Germanicarum nemo consultior. Hunc si audieris Beatissime Pater, quid agendum consulendumve sit,

3. Ad res Germaniæ se vertit hortatu Cardinalis Truchsessii.

ſit, quid publicæ interſit rei, facile intelliges. Caniſii nomen, rebus in Germania geſtis celebratiſſimum, miram Gregorio cupiditatem injecit huminis de facie cognoſcendi. Eum itaque acciri ad ſe confeſtim jubet. Atque ut affuit, blande compellatum, multa rogat de ſtatu rerum in Germania, quæ ſpes, quæ ratio hæreſeos profligandæ ſit. Caniſius, in ſermonem ingrediens, plus quidem nimio ait afflictam in ea plaga rem Catholicam eſſe, non adeo proſtratam tamen ac perdiram, ur non reſtitui Deo propitio queat. Operas tantum deeſſe, quæ Vineam excolant a fero Apro miſere devaſtatam. Cæterum, ſi adhibeatur induſtria, ſi operi inſiſtant viri ſtrenui, nec pauci, poſſe enimvero quæ integra adhuc ſunt conſervari, quæ collapſa farciri. In Eccleſiis Cathedralibus Collegia Sacerdotum eſſe, & numero & dignitate ſplendidiſſima, quæ Religionis totidem veluti propugnacula videri poſſint. At multum intereſſe quales ii ſint Sacerdotes, ſola ne generis claritate, an etiam doctrina, ac vitæ integritate conſpicui. Ex iis enim, ab iiſque eligi Epiſcopos, magnis Principibus opibus ac potentia pares, certe haud multum impares, qui ſi parem poteſtati virtutem jungant, Religionem tueri facile poſſint. Paræcias deinde eſſe amplas, & magni quæſtus; at non dignioribus plerumque committi, ſed nobilioribus, nulla interdum doctrina, nulla ad paſcendum gregem indole. Inde virus novæ ſuperſtitionis latius diffundi, inde opes factionis creſcere, inde omnia humana ac divina jura confundi. Quæ ſat copioſe elocutus, tum ad Collegium Germanicum deducto ſermone, multas maximaſque ejus utilitates expoſuit. Sapienter ſane feciſſe Pontificem Julium III., qui in urbe Religionis ſede hanc virtutis palæſtram Germanicæ Juventuti aperuerit, peſſimo publico factum eſſe, quod perficere eam, uti conſtituerat, occupatus morte non potuerit. Hoc uno inſtituto,

4. Colloquium Petri Caniſii cum Pontifice de rebus Germaniæ, deque Collegio Germanico.

tuto, si stabile firmumque sit, stare Catholicam rem in Germania posse. Optandum tamen sibi videri, ut Alumni posthac, non solum numero plures, sed, quatenus possit, eo sint genere, ut ad splendidiora Ecclesiarum Sacerdotia, atque ad ipsas adeo Infulas, non nisi potentioribus tradi solitas, aspirare queant. Id si fiat, nullum opinione sua præsentius afferri posse Germaniæ laboranti subsidium, hoc uno cætera contineri. Ita loquentem tacitus, ac cogitabundo similis audiit Gregorius, numquam interfatus. At ad extremum: Æquum est, inquit, ut quæ Julius posuit Collegii fundamenta, per nos ad fastigium attollantur. Nec plura effatus, facto bene precantis signo, Canisium dimisit. Truchsesius statim, Moronusque Cardinales, quibus ea res maxime cordi erat, de colloquio, colloquiique exitu certiores sunt facti, nullamque sibi intulerunt moram ad incendendum Pontificis animum, de quo tam læta concepta spes erat. Redit ad Pontificem captata occasione Truchsesius, adit ex composito Moronus, nec jam de Græcia, sed de Germania cogitantem, atque ultro de Collegio differentem, ac deliberantem audiunt. Gratulantur consilium, non utile solum, sed in rem præsentem necessarium, atque unicum. Facile quin etiam factu demonstrant, ne differat hortantur. Sic ambo sua currenti sponte stimulos subiicientes, tenuerunt auctoritate ut negotium maturaret, & manus operi quam ocyssime admoveret. Forte per eos dies Jesuitæ novum sibi Præpositum Generalem creaverant Everardum Mercurianum. Huic Pontifex ad se accersito significat, venturos sub Autumnum Germanos Adolescentes centum. Det ipse operam, ut iis locus in Collegio, & quæ usui sunt omina præsto sint. Se censum perpetuum, quo alantur, præbiturum. Quo tamen usque pertingere census debeat, habita ratione sumptus in singula capita faciendi, inquirat diligenter, referatque

5. Gregorius instaurare Collegium statuit. Urgent negotium Cardinales Truchses & Moronus.

6. Rem Jesuitis committit Pontifex, consultatque de censu pro Alumnis centum.

ratque ad se. Nihil distulit Mercurianus imperata facere. Quodque ad censum attinet, disceptata inter Collegii œconomos re, subductisque cum cura rationibus, confectum est, haud minus decies mille aureis opus esse, siquidem Alumnis centum præstari ex toto victum, vestitumque, atque omnem cultum corporis oporteret. At quando ad eum numerum excessuri essent Alumni, Convictoribus, qui longe majori essent numero, locum non relinqui. Utque non desit locus, tantam diversarum gentium Juventutem sub eodem tecto contineri nullo modo posse. Satis jam superque experimento constare quantum quietis domesticæ intersit Germanis Italos non commisceri. Unam eamdemque disciplinam Adolescentibus cœlo, ingenio, instituto vitæ diversis, aptari haudquaquam posse, diversam non expedire. Aut igitur deprecandam Collegii administrationem, aut omnino Juvenes separandos. In id omnes Collegii Præsides & administri consentiebant. Quod ut accepit Pontifex, æqua postulari intelligens, vetuit jam tum ne præter Germanos alii deinceps in Collegium reciperentur. Nec ita multo post Convictores, siquidem Societatis institutione frui vellent, in Seminarium Romanum migrare jussit, nec ullis cujusquam intercessionibus ab ea sententia se dimoveri est passus. Verum ad id nisi aliquanto post non est ventum, & quo facta modo sit Juvenum separatio, nos infra differemus. Prius quam hæc agerentur, ad Germaniæ Principes Gregorius scripsit, deque ratione consilii sui, quod ad nationis Germanicæ utilitatem ac decus unice spectaret, eos docuit, rogans ut voluntatem erga ipsos suam, benevolam oppido paternamque, grato acciperent animo, & quam suscipiebat de rebus eorum curam quo possent ipsi modo adjutarent. Nec eo contentus, delectum e Sacræ Rotæ Auditoribus Gasparem Gropperum, virum industrium, & expertæ fidei, proficisci in Germaniam

7. Jesuitæ separandos ab Alumnis Convictores censent. Ita fieri Gregorius jubet.

8. Gregorii litteræ ad Principes Germaniæ, & legatio Gasparis Gropperi ad eosdem.

niam cum poteſtate Legati Pontificii, ſingulos adire Principes, qui Catholico nomine cenſerentur, atque iis eadem a ſe renunciare juſſit, hoc inſuper adjuncto mandato, ut quacunque tranſiiſſet, conquireret ſelectioris indolis adoleſcentes, ac ſua commendatione inſtructos Romam ablegaret. Eadem mandata per litteras dedit Joanni Delphino, ſuo apud Maximilianum Cæſarem Legato. Qui dum injunctas pro ſe quiſque partes e longinquo exequuntur, ipſe propius operi manum admovit. Primum omnium fuit diploma fundationis, quod VIII. Idus Auguſti, anno MDLXXIII., rite editum obſignatumque eſt. Eo diplomate profitebatur Gregorius, ſe in ſpem Germaniæ, olim Religionis cultu inclytæ, ſed jam nova Lutheri ſuperſtitione miſerandum in modum pollutæ, Collegium ejus gentis conditum in Urbe velle, ac porro condere. Ne vero eveniret ſibi quod Deceſſori ſuo Julio, ut prius excederet vita, quam Collegium ipſum firmatum probe conſtabilitumque eſſet, atque inde omnia decedente ſe ruerent, ei jam tum vectigal annuum aureorum decem millium in perpetuum aſſignabat, cujus pecuniæ partem conſtituebat in Sacerdotio S. Sabbæ, partem reliquam aliunde ſe ſuppleturum, ſe vita ſuppeditaret, ſpondebat, atque interim ex Ærario Pontificio pendi jubebat. Primum itaque inter dotalia Collegii bona Sacerdotium, quod dixi, S. Sabbæ fuit; Quod quale ſit, non abs re puto erit paucis exponere. Templum eſt amplum ac pervetuſtum, in Colle Aventino prope ad Urbis mænia ſitum, domus olim, ut perhibent, Sanctæ Silviæ, magni Gregorii Parentis, quæ hinc Filio adhuc Monaco, & in Monaſterio S. Andreæ degenti, legumina, ut eſt in hiſtoria, ſolebat mittere. Cujus memoriæ conſervandæ cauſa, Ara in eodem Templo Sancto Pontifici, Matrique ejus conſecrata etiam nunc viſitur. Locum occupavere priſcis temporibus quidam ex Græ-

9. Bullam edit Gregorius de novo Collegio: Ei vectigal annuum aſſignat in Sacerdotio S. Sabbæ.

10. De Templo ac Monaſterio S. Sabbæ a ſuis initiis.

Græcia Romam advecti Monachi, ibique Monasterio condito sub appellatione Cellæ novæ, & structo in honorem D. Sabbæ, magni inter suos nominis Cœnobiarchæ, templo, diu consedere, tanta opinione virtutis, ut anno reparatæ salutis DCCLXXX. Petrus Monasterii Abbas dignus sit habitus, qui Concilio Nicæno secundo pro Adriano Pontifice præsideret. Græcis successere sæculo XII. Monachi Cluniacenses, Cluniaco evocati a Pontifice Lucio II., cujus liberalitate, non Cœnobium modo, sed & prædia quædam non contemnendi proventus accepere. Variantibus decursu temporis rebus, Cluniacensibus subrogati sunt Cistercienses. Monachis tamen nihil relictum, nisi habitatio cum censu modico, Templique usus, & cultus. Prædia, juraque omnia cum omni reditu, Abbatibus externis, quos nunc Commendatarios nominant, concessa. Horum postremus fuit Innocentius de Monte Cardinalis, sordido genere, corruptis moribus vir, quem adhuc adolescentem Julius III. in sacrum Senatum legerat, suamque in familiam inseruerat. Huic, quod solutiorem probrosamque duceret vitam, id Sacerdotium ademit Pius IV., transtulitque ad celebre Nosocomium S. Spiritus. At Gregorius XIII., hoc vectigalis additamento haudquaquam indigere arbitratus regiæ prope opulentiæ Nosocomium, id omne in dotem Collegii Germanici cedere maluit, cui ipsum quoque Templi ac Monasterii ædificium addixit, Cisterciensibus ad Sanctæ Crucis in agro Sessoriano translatis. Sacerdos e populo unus modo residet ad S. Sabbæ, Cœnobii Templique custos & cultor, cui pro ea cura merces a Collegio penditur. Illuc tamen procedunt Alumni certis intra annum diebus, ac divinorum officiorum majestatem Templo solitario ac squallenti reddunt. Cæterum S. Sabbæ reditus haud pluris æstimabantur aureis bis mille octingentis, impar sane fundus Alumnis centum sustentandis. Vidit Gregorius,

II.
Dotis additamentum a Sixto V. ademptum Collegio.

gorius, eaque propter addidit aureos mille trecentos ex distributione annuli, quem recens creati Cardinales accipiunt, Collegii subsidium haud leve, si fuisset perpetuum. Verum id Pontifex Sixtus V. postea abrogavit. Atque hoc

12. Solemnes gratiarum actiones in Collegio institutæ.

specimen primum Gregorii erga Collegium munificentiæ fuit. Quo accepto Alumni, tam propensam Pontificis erga se voluntatem admirati, verterunt se ad fontem omnis beneficentiæ, ac debitas largitori Deo gratias in communi persolverunt, Psalmum *Confitemini Domino quoniam bonus* alterno ac læto cantu decurrentes. Atque inde mos invaluit, qui etiam nunc sancte retinetur, ut recolendæ causa memoriæ anniversariæ, tum Julianæ institutionis, tum Gregorianæ Collegii instaurationis, quæ duo in Augustum mensem inciderunt, idem ab Alumnis Psalmus pridie ejus diei, quæ proxima est post calendas sextiles dies dominica, quotannis decantetur. Eluxit deinde Gregorii liberalitas

13. Alia pro Collegio domus conducitur. Gregorii liberalitas in ea re.

in nova domo, ad quam traduci ex Palatio Columnensi Alumnos visum est oportere. Placebat maxime ea pro Collegio domus, quæ locata pridem fuerat Seminario Romano, in regione, uti docuimus, S. Eustachii, prope ad Palatium Vallense. Et facile adducebantur Seminarii Præsides, ut eam Collegio Germanico sublocarent. Veruntamen rependi sibi postulabant impensas in ea adornanda factas, quæ res argenti summam non mediocrem hauserat. Et super hæc in usum familiæ frequentioris aptanda rursum erat, ac nova suppellectile instruenda, quod fieri sine ingenti sumptu non poterat. Hærente ad id alliso quasi vadum negotio, medium se injecit Gregorius, ac repræsentata de suo pecunia, Collegium ab ea cura liberavit. Quin digresso inde Seminario, atque aliam in sedem ad S. Mahuti, ubi nunc est, translato, præter impensas in domo aptanda ornandaque factas, instrui rebus necessariis Penum, Cellam, Vestiarium, cæterasque officinas jussit, ne

ne quid imparatum offenderent venturi ex Germania Juvenes, atque in id quanto opus fuit prolixe contulit.

14. Novus Collegio Rector imponitur Michael Lauretanus cum aliquot Patribus.

Hæc dum aguntur, venere a binis quos ſupra memoravi Legatis Pontificiis, Groppero ac Delphino, litteræ, conſcriptos jam aliquot Juvenes, ac propediem itineri ſe daturos nunciantes. Eo nuncio promoveri ſumma feſtinatione, perficique omnia. Mercurianus, ad operis perfectionem Rectorem novum novo Collegio imponendum ratus, virum delegit, quo non alius virtute prudentiaque ad id munus aptior, Michaelem Lauretanum: Quem ego virum ſi alterum poſt Gregorium Collegii Parentem dixerim, nimius fortaſſe videar, vere dixerim tamen. Adeo quæcunque rite recteque in eo, lege vel more, ſancita inſtitutaque ſunt, ad ipſum tamquam ad auctorem primarium ſunt referenda, qui nullam induſtriæ partem ad formandos Alumnos prætermiſit, & præfecturam eam annos continenter duo de viginti eximia cum laude geſſit. Lauretano adminiſtrum, & curarum ſocium adjunxit Fabium Amadæum. Huic exterior diſciplina concredita. Studiorum regimini Lucam Pinellum, interiori foro Fridericum Sanctinum præfecit, præter alios minoris ordinis præfectos.

15. Primi appellunt ex Germania Juvenes. Unius factum memorabile.

His autem vix dum explicitis rebus, adſunt ex Germania Juvenes octo, aliorum, qui ſequebantur, præcurſores, ac nuncii. Unus ex his, Joannes Piſtorius nomine, pridie quam in Urbem diſcederet, bona fortunaſque ſuas inter egenos diviſerat, contemptu ſcilicet divitiarum parandam ſibi viam ad hoc vitæ inſtitutum, tamquam ad Apoſtolatum, arbitratus.

16. Decernitur in certam diem ſeparatio Alumnorum a Convictoribus. Mæror ex ea re.

Tanta Collegii hujus exiſtimatio apud Germanos erat! Ab horum adventu, qui & amantiſſime a Lauretano excepti, & Alumnis cæteris ſunt aggregati, decreta ſeparatio eſt Juvenum, & præfinita dies Octobris menſis XVII., feſtam S. Lucæ diem proxime præcedens, qua die Alumni e Columnenſi domo ad Vallenſem, ſeorſum deinceps victuri,

tradu-

traducerentur. Vulgata per Collegium re, non est dictu facile quantus Juventutem eam omnem incesserit mœror. Coaluerant namque ex longa societate convictuque animi, ut ægre jam, nec sine acerbo doloris sensu possent divelli. Quanto aberat propius, tanto sauciabat acerbius amari divortii appetens dies. Dolori itaque mitigando Thomas Ludovicus Victoria, artis musicæ id temporis Magister insignis, psalmum *Super flumina Babylonis* ad modos flebiles composuit, quem suavi concentu repetitum audire

17. Traducuntur propriam in domum Alumni. Initium rerum a pietate sumitur.

sæpius juvit. Illuxit tandem præstituta separationi dies, ac posteaquam ultimis salutationibus inter questus & lacrymas satis indultum est, sole occiduo Lauretanus Alumnos duos & triginta cum attributis sibi Patribus, longo ac silenti agmine, paratam in domum deduxit, relictis in magno luctu, ac tristissima comploratione Convictoribus, quos paulo post e domo Columnensi amotos nova Seminarii Romani sedes accepit, ad S. Mahuti, ut diximus, collocata. Instructum jam ante fuerat religionibus obeundis Sacellum opportuno intra domum loco. Huc itum est recta, ac fusæ ad Deum pro gratiarum actione preces, tum etiam ut auspicato esset quæ capiebatur domus possessio. In sacellum denuo conventum est intentis tenebris, ac post Sanctorum pias invocationes, præeunte verba Lauretano in communi peractas, aspera diverberatione se quisque nudatis tergis cecidit, illud comprecantibus cunctis Deum, ut suo fortunaret numine Collegii primordia, ut bonus, ut præsens adesset rebus, atque inde bene ac feliciter omnia verterent. Die postero Rector, rursum conventu Alumnorum habito, apta loco ac tempori verba fecit, demonstrans quid ab iis Deus, Vicariusque ejus Pontifex Maximus, quid homines superique poscerent, quanta de ipsis spes & expectatio esset. Qua oratione ad cultum Christianæ pietatis incensis, peracta re divina, sua ipse manu Eucharisticum panem

panem impertiit. Transactis per hæc, aliaque Religionis officia horis antemeridianis, quod superfuit diei adeundis quibusdam sanctioribus Urbis Templis datum est. Ecce autem, paucis interjectis diebus, adest insperato ex aula nuncius, velle Pontificem Collegium suum invisere, & perendie affuturum. Parata continuo sunt, ut in angustia temporis licuit, majestati excipiendæ necessaria. Mundata domus, Sacellum holoserico intectum. Et ipsa re Pontifex ad præstitutam diem, quæ fuit Octobris mensis septima supra vigesimam, affuit cum Cardinalium ac Procerum splendido comitatu. Venientem excepit provolutus in genua cum primariis Patribus Mercurianus, & in Sacellum recta deduxit. Quo loco ut consedit, pauca cum Patribus collocutus, acciri ad se Juvenes, quorum esset cupidissimus, jussit. Illi haud cunctanter vocati inferunt se, procumbentesque in genua, adoratum procedunt, mixto gaudii ac reverentiæ sensu. Quos sibi ad pedes accidentes Sanctissimus Senex vix non manantibus gaudio lacrymis contuebatur, affabaturque, ac fausta prece prosequebatur. Ex iis unus, experrectioris ingenii, & præclaræ speciei Adolescens, brevi, quam paraverat, nec inconcinna oratione communi omnium nomine gratias egit Pontifici pro immortalibus ejus in Germanicam gentem meritis, pro singulari erga se benevolentia, pro eoque nominatim honore, quo Collegium eo die esset dignatus. Cui Gregorius pauca, sed plenissima humanitatis verba reposuit. Tum assurgens, cuircuire domum, angulosque ejus omnes instituit. Conclavia singula, Bibliothecam, Triclinium, officinas ipsas curiosissime perlustravit, magnopereque probans omnia, & quanrumvis sumptum recte in ea domo collocatum affirmans: Quid est, inquit, quamobrem non coematur domus in Collegii formam tam apte commodeque instructa? Quanti tandem venire poterit? Sed quan-

18. Pontifex Collegium invisit, Alumnos ad pedis osculum excipit amantissime.

quanti quanti veneat, nobis curæ erit pretium ſolvere. Ad ea Lauretanus modeſte intercedens, domum ſpecie ordinatiſſimam, multis maximiſque incommodis laborare oſtendit. Minus in primis laxam pro numero Alumnorum, qui ex Germania expectarentur, eſſe; & continendæ intra diſciplinam Juventuti amplam ſane, ſpatioſamque eſſe domum oportere. Nullam præterea adjacere ædem ſacram, in qua Juvenes Eccleſiaſtici Eccleſiæ miniſteriis exercerentur. Si qua eſſet hujuſmodi, eamque ad ſe trahere Collegium poſſet, id enimvero ex uſu ejus futurum maximopere. Alias addidit haud levis momenti cauſas, quæ ita animatum Pontificem, omnia que Collegii utilitatibus metientem, ab emptionis propoſito depulerunt. Cæterum ab hoc Gregorii adventu congreſſuque omnia deinceps Collegio procliviora ſunt facta. Eſt in Lauretani monumentis ipſius manu conſcriptis, ſibi poſt illum diem, non tempus captandum, non molles quærendos fuiſſe aditus, ut a Pontifice in colloquium admitteretur. Patuiſſe ſibi qualibet die, qualibet diei hora velum; nec vero parce, aut meticuloſe emendicanda ſibi fuiſſe pecuniarum ſubſidia, quæ ultro nec poſcenti ingereret beneficus Princeps, ac liberaliter erogaret. Gubernati hactenus Alumni fuerant iis legibus, quas ab ipſo B. P. Ignatio conſcriptas alibi diximus; & erant plane ad indolem uſumque eorum quam maxime accommodatæ. Tamen quod non omnem complecti diſciplinæ rationem viderentur, placuit, ſervata methodo Ignatiana, quædam explicatius exponere, quædam etiam de novo jubere. Novus itaque legum eſt propoſitus Codex, cui Cardinales Moronus & Comenſis, duo ex Protectoribus, ut eſt in Authographo, ſubſcripſere. Alii interea atque alii ſupervenere ex Germania Juvenes eo numero, ut brevi ad centum cenſerentur. Huic multitudini anguſta cum eſſet domus, jungenda

20\. Secutæ utilitates ex illo Gregorii in Collegium adventu.

21\. Novæ ſcribuntur pro Collegio leges.

22\. Creſcit Alumnorum numerus, domus amplior exquiritur.

genda ligneo ponte fuit cum alia e regione posita, in qua pars familiæ est collocata. Ita res pro præsenti utcunque composita. At Lauretanus explorabat, imminebatque in occasionem, si qua alia vacaret domus amplior, quæ & situ commoda esset, & templum aliquod haberet adjunctum. Namque id maxime in rem suam fore arbitrabatur. Omnia circumspicienti, occurrit Palatium adhærens Ædi D. Apollinaris, in quo nullam desiderares earum rerum, quas ipse postulabat. Huc ut intenderet animum effecit obitus Caroli Cardinalis a Lotharingia, qui D. Apollinaris titulo insignitus cum esset, adnexum ei Palatium ratione tituli possidebat. Quamquam autem id habitandum acceperat Lotharingi permissu Cardinalis Alexandrinus, tamen Titularis morte vacans, ac vacuum videri poterat. Lauretanus ergo, occasionem velut in sinum sponte illapsam arripiens, rem ad Pontificem detulit, qui nihil moratus, suppresso D. Apollinaris titulo Cardinalitio, non Palatium modo, sed omnes ei titulo adnexas ædes Germanorum Collegio in perpetuum addixit. Datum est hac de re diploma v. Idus Januarii, anno MDLXXIV. Possessio tamen dilata in annum proximum, credo ut spatium Cardinali Alexandrino relinqueretur aliam sibi habitationem comparandi. Atque hoc medio tempore effecit Lauretanus, ut sacra quoque Ædes Apollinaris in usum potestatemque Collegii cederet; quod tamen ut sine cujusquam injuria eveniret, haud sine præsenti Numinis ope est impetratum. Erat nimirum Ædes ea, ut loquimur, Collegiata, & Parochialis. Et Gregorius, ut multum Germanorum Collegio faveret, sua tamen possessione depellere Canonicos, quibus omne jus bonum in id templum esset, animum non inducebat, nisi assensus eorum accederet. Quid vero Lauretanus? Exorata prius superum ope, precibus etiam in id, jejunio, piaculisque aliis in commune imperatis, Canoni-

23. Palatium S. Apollinaris Collegio tradit Pontifex suppresso titulo Cardinalitio.

24. Templum quoque S. Apollinaris Lauretanus impetrat, abolito Canonicorum Collegio.

nonicos adiit singulos (quinque omnino erant cum Præposito uno), rogavitque, vellentne suum templum Collegio Germanico ex æquo & bono cedere, suis alioqui reditibus titulisque dum viverent fruituri, omnique ejus cura in posterum exsoluti. Subingressuros nempe eorum in locum Alumnos centum, divinis officiis operaturos, & quos ipsi celebrare consuessent sacrorum ritus cum fide celebraturos. Tantæ vetustatis ac religionis templo, sublato licet Canonicali Collegio, nihil de suo splendore cultuque detractum iri. Responsum est placere, quodque obstupescas, dissentiente nemine. Quod cum privatim singuli, deinde omnes re in communi deliberata confirmassent, ex conventione factum est decretum, ac Pontificio diplomate confirmatum, ut templum D. Apollinaris transiret in potestatem Collegii Germanici, & sacris in eo cæremoniis Alumni deinceps fungerentur, Canonicorum Collegio penitus abrogato, quorum annuæ pensiones post decessum eorum itidem Collegio Germanico cederent. De Paræcia sancitum, ne moveretur loco. Parochos tamen in posterum instituerent destituerentque pro libito Cardinales Collegii Patroni, atque intra Collegii parietes Parocho S. Apollinaris jus nullum, nulla potestas esset. Quibus ita constitutis rebus, templi possessio est capta, & Sanctissimæ Trinitatis festa luce Alumni, qui jam in proximum palatium transierant, primum in eo Sacrum post solemnem ejus diei psalmodiam augustiore ritu peregerunt, anno MDLXXV. Ea porro tam fausta lux etiam nunc ob facti memoriam præcipuæ religionis Alumnis est, & recoli quotannis solet Psalmo *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus*, quem præter alios ea die concinunt. Priusquam ulterius progrediamur, siquidem D. Apollinaris templum vetus postremis hisce temporibus dejectum est, ac novum a fundamentis erectum, ne una cum parietibus adempta poste-

25. Quid sancitum sit de Paræcia. Templi possessionem Alumni capiunt.

26. Templi hujus historia a suis initiis.

posteris memoria ejus sit, liceat mihi hoc loco totam ejus historiam altius repetitam ad legentium eruditionem paucis complecti. Vetustissimum id fuisse templum nemini dubium est. Id manifeste monstrabat, non tam structura ædificii, quam alte subsidens pavimentum, atque adeo depressum, ut descensus in illud multos per gradus esset. Nec enim in tantam altitudinem attolli circum humus, nisi plurium sæculorum intercursu potuit. Et quæcunque visuntur Romæ sic demersa terræ ædificia, antiquissimi esse temporis constat; sensim elato scilicet viarum solo, seu pulvere deciduo, seu veterum ædificiorum ruinis, seu decurrente ex alto, semperque luti aliquid relinquente aqua pluvia, seu qua alia, quæ demum cunque sit, causa. Apollinis fanum fuisse eruditi putant, primo bello Punico extructum, in cujus dedicatione institutos in honorem Apollinis ludos Apollinares Livius tradit. Inde regionem eam Urbis, inter Tiberim & Circum Agonalem sitam, Apollinarem fuisse dictam. Sanctum vero Pontificem Silvestrum ajunt, ut celebris in Urbe regio, quæ a superstitioso Ethnicorum numine habebat nomen, a Divo cognomine in posterum denominari pergeret, purgatum ab impuro cultu fanum D. Apollinari Ravennatum Episcopo consecrasse. Utcunque hæc sint, illud constat, temporibus Hadriani Pontificis Basilianis quibusdam Monachis, qui metu Leonis Isaurici, & Constantini Copronymi, sacras Divorum reliquias nefario bello insectantium, ex Oriente profugerant, id templum fuisse traditum, insigni Cœnobio ad eorum habitationem extructo; per eamque occasionem avecta ab iis sacra corpora Sanctorum Martyrum Eustrathii, Eugenii, Auxentii, Mardarii, & Orestis, sub templi hujus ara maxima fuisse condita. Quod cum pro certo habeatur, etiam nunc dies eorum Martyrum festa, Decembris mensis tertia decima, 28.

28. De corporibus SS. Martyrum in hoc Templo reconditis.

 præci-

præcipuo apparatu ac pompa celebrari in D. Apollinaris est solita. Depulsis inde Monachis Græcis, Cœnobium sacratæ Deo Virgines occupavere. Quamdiu tenuerint, incompertum mihi est. Secutis certe temporibus Apostolicæ, ut vocant, Pœnitentiariæ sedem ibi extitisse indicabat præfixus marmori superliminari lapis, his notis inscriptus *Officium Pœnitentiariæ Apostolicæ*, quem lapidem pro foribus Curionis locatum ipsi vidimus. Parœciam esse antiquissimam constat. Sed quo primum tempore ea dignitas addita templo fuerit, incertum; quamquam id ad tempora Caroli Magni domestica referant monumenta. Titulum in eo Cardinalitium primus habuit Joannes Baptista Pallavicinus, qui etiam tantum sepofuit æris, quanto opus fuit instituendo justo Canonicorum Collegio. Hoc tamen nisi aliquanto post non est institutum, sedente in Petri solio Clemente VII., & Joanne Dominico de Cuppis Cardinali titulum S. Apollinaris obtinente. Prætereunda non est effigies Divinæ Matris, clara miraculis, quæ in porticu templi hujus depicta muro visitur, & magna populi religione colitur, ab ipso etiam artificio spectanda, quippe opus excellens, Petro Perusino peritorum judicio assignatum. Ut detecta primum fuerit anno MDCXXXXVII. imago sacra, quæ calce super inducta latebat, ut cœperit statim miraculis inclarescere, longum esset commemorare. Et propria ejus rei circumfertur historia, parvo libello comprehensa, quam qui velit facile inveniet. Quod ad rem pertinet, in molitione novi templi, quæ memoria nostra facta est, quamquam omnia diruebantur, servata est Virginis imago integra, pariete circumsecto, ac rursum publicæ venerationi proposita in novo atrio, quod a reliquo templo disclusum est de industria, ut quavis hora diei adeuntibus pateat. Atque hæc de Templo D. Apollinaris. Palatium illi adhærens, quod Alumni habitandum sumpsere, Guillelmum Rho-

29. De Imagine divinæ Matris, quæ in atrio Templi colitur.

30. De Palatio S. Apollinaris.

Rhotomagenſem, & Hieronymum Roboreum Cardinales habuit auctores, ut eorum inſignia, vel lacunaribus depicta, vel parietibus affixa monſtrabant. Sed jam nullum ejus extat veſtigium, novo, ut infra dicemus, ac ſane commodiore ædificio excitato. Et nos ad narrationis textum, poſt longiuſculam, non inutilem tamen, excurſionem convertimur. Tradita, ut dictum eſt, Collegio Germanico Apollinaris Æde, Lauretanus ad eam repurgandam, inſtaurandam, & quatenus poſſet ornandam, adjecit animum. Nam ſqualebat vetuſtate ac ſitu in tantum, ut ſpeciem ſpeluncæ quam templi ſimiliorem referret. Prima cura fuit attollere fornicibus ſolum, in quod multis, ut dixi, gradibus ab oſtio deſcendebatur, ac rurſum ſternere. Tum aræ aut erectæ ex integro, aut renovatæ. Parietes partim deterſi, partim picturis ornati. Additæ ad excipiendum lumen feneſtræ. Quibus perficiendis rebus pecuniam ad quatuor ferme aureorum millia Gregorius eſt elargitus, Nec vero puduit nobiliſſimos quoſque Alumnorum templo in honorem Numinis reſtaurando manum atque operam adhibere, Lauretano, Patribuſque aliis exemplo præeuntibus. Itaque alii humum egerere, alii cæmenta, lapides, materiam nullo intuentium reſpectu comportare. Quod conſpicatus forte civis Romanus, vir pius & locuples, comperto, ex iis, qui inter operas tam alacriter deſudarent, eſſe aliquos Romani Imperii Comites e primaria inter Germanos nobilitate, miratus tantam in tali Juventute magnitudinem animi, rerumque humanarum contemptum, argenti vim non ſpernendam ultro miſit operi perficiendo. Quod quidem ſumma celeritate, ſeſquimenſi minus, priuſquam adveniret D. Apollinaris feſta dies, perfectum eſt; Templo, ſi non in ſplendorem debitum, at tolerabilem ſaltem in ſtatum perducto, quale ad nos uſque pervenit. Jam ergo templum Apollinaris, antea in triſti

31. Ut repurgatum ornatumque fuerit Templum.

32. Alumni partem laboris capiunt inter operas.

33. Sacræ cærimoniæ magna dignitate peraguntur in D. Apollinaris.

tristi solitudine ac silentio pene destitutum, post id tempus concursu hominum frequentari est cœptum, mirante Populo Romano modestiam, gtavitatem, diligentiamque Alumnorum, seu consueta Sacerdotum carmina alterno decurrerent cantu, seu divina mysteria solemnioribus cæremoniis celebrarent. Erat illud quoque magnæ in vulgus admirationi & exemplo, quod abjectissima quæque, ac maxima laboriosa templi ministeria Alumni obirent. Ipsi namque pavimentum everrebant, ipsi aras convestiebant, mappas componebant, lychnos adornabant incendebantque, sedilia aut ponebant, aut removebant, & sexcenta hujus generis alia præstabant, nihil videlicet vile, nihil a se alienum, aut infra dignitatem suam existimantes, quod ad Divini Numinis cultum pertineret. Quæ tunc laudabiliter usurpata, ne distracti his curis Alumni ab studiis scholasticis, potiori utique officio, averterentur, externis administris postea visum est demandari. De his interim vel fama, vel percunctationibus cum audiret Gregorius, voluptate incredibili perfundebatur, atque inde ansas omnes, quæcunque se darent, bene de Collegio merendi cupide arripiebat. Vertebat annus de quo modo dicebam MDLXXV., & jam ad centum quinquaginta, & si quid amplius, Alumni excréverant, quibus si adderes domesticos Jesuitas, reique familiaris externos administros & curatores, familia erat capitum prope biscentum, neque huic sustentandæ census idoneus suppetebat. Gregorius necessaria, ut res ac tempus posceret, large subministrabat. At simul vias rimabatur omnes augendi vectigalis ad eam usque summam, de qua semel constituerat. Nisi enim habuisset vivo se Collegium, quo perpetuo se ipsum tueri ac sustentare posset, haud facile Successores Pontifices id ei tradituros, numquam certe onus perpetuum tantæ multitudinis sustentandæ Ærario Pontificio imposituros. Idcirco, ut

34. Alumni viliora quæque Templi ministeria obeunt.

35. Gregorius Collegio benefacere pergit.

36. Collegio transcribit Sacerdotium S. Petri in agro Laudensi.

ut forte ſtatuere pro arbitrio poterat de dimidia parte Sacerdotii, quod Sancti Petri vocant, in agro Laudenſi, eam Collegio addictam voluit, in ejuſque poſſeſſionem immitti Collegii Procuratores juſſit. Quod factum eſt, curante ſanctiſſimo illo Mediolanenſium Epiſcopo Carolo Borromæo, cui id negotii Pontifex dedit. Ac tertio poſt anno partem Sacerdotii ejuſdem alteram, ab Theodoro de Rhaude ſponte dimiſſam, ſimiliter in dotem Collegii tranſtulit novo diplomate, quo non ſolum dominii jus in omne prædium, ſed immunitatem etiam a decimis Collegio tribuebat. Sub idem fere tempus alia patuit Collegii conſtabiliendi via, fato functis modico intervallo binis longe ditiſſimis Cardinalibus, Julio Roboreo, quem Urbinatem vocabant, & Alexandro Sfortia, quem a Sancta Flora, ſuæ ditionis oppido, denominatum legimus. Nam cum ille prior commendatum haberet Monaſterium S. Crucis Avellanarum in Diœceſi Eugubina, alter nullius Diœceſeos Sacerdotium, a S. Chriſtina nuncupatum, haud ita a Mediolano poſſideret, hæc duo morte eorum ad Sedem Apoſtolicam devoluta, Gregorius nullibi melius collocari poſſe arbitratus, quam nutriendis Catholicæ veritatis ſatoribus, divinorumque ſacrorum propugnatoribus, itidem Collegio tranſcripſit, penſionibus tamen quibuſdam impoſitis haud ſane levibus, quas commemorare nil attinet. Per hos veluti gradus ſua Collegio confecta dos eſt, Alumnis centum ſuſtenſtandis haud dubie par futura, niſi aucta magnopere rerum omnium utilium pretia cariorem hoc tempore victum, atque omnem vitæ cultum facerent. Neque hic tamen finis Gregorii munificentiæ fuit. Præter privilegia quædam plane ſingularia Collegio nec petenti conceſſa, bona ejus ab omni ſcriptura, portorio, decuma, aut quovis alio vectigali libera ampliſſimis verborum formulis dixit. Eidem ſalis libras mille quingentas aſſignavit,

37. Ei addit duo Sacerdotia, Sanctæ Crucis in Diœceſi Eugubina, & S. Chriſtinæ in Mediolanenſi.

38. Alia quædam beneficia Collegio a Gregorio delata.

vit, ab vectigalis hujus Exactoribus, aut Redemptoribus quovis anno tribuendas. Aquæ præterea virginis, quæ saluberrima omnium in Urbe habetur, sextantem Collegio adscripsit sine pretio, ac subterraneis e plumbo tubis duci in Collegium sua impensa jussit. Quid quod iis haudquaquam contentus, quæ præstare per se ipse poterat, patrocinium quoque ac beneficentiam Principum exterorum Collegio petivit? Ut alia omittam, scripsit ad Philippum Hispaniarum Regem, abstulitque ab eo Regium diploma, Matriti editum die IX. Octobris, anno MDLXXIV., quo diplomate Collegio Germanico potestas fiebat exportandi e citeriore Sicilia vini quotannis dolia ducenta, idque nulla solutione portorii. Sed longum esset numerare singula. Eo usque processit Pontificis amantissimi favor, ac longe in tempus posterum prospiciens benevolentia, ut Alumnorum, non modo necessitatibus, sed voluptatibus etiam, atque honestis relaxationibus consultum voluerit. Itaque, satis sciens atteri paulatim debilitarique studio, atque assidua mentis contentione Juvenum vires, atque inde malas sæpe valetudines suboriri, iis reficiendis coemptam ære suo Villulam puri ac patentis soli, cœli salubris, atque amœni prospectus, edito loco in Pariolo extra Portam Flaminiam sitam, Collegio donavit. Quibus autem tabulis donationem fecit, id spectare se maxime declaravit, ut haberent Alumni posthac quo animi causa divertere, ac feriari nonnihil possent. Et magni sane usus id suburbanum fuit, ac porro est. Quippe haustus ille cœli purioris, illa quies & remissio animi, illi per innocuos ludos traducti dies, ac studiis quotidianis per intervalla interpositi, incolumem vegetamque Juventutem, variis antea morbis conflictari solitam, præstant. Inde etiam impensis multis est parcitum, quas antea Pharmacopolæ ac Medici abliguriebant, cum præsertim ante id tempus qui affecta erant

39. Villam pro Collegio Gregorius emit ad animi relaxationem.

erant valetudine in Tusculanum, aut Tiburtinum rus mitti curationis causa solerent, magno & incommodo & impendio, quod posthac fieri desitum est. Sic rebus demum omnibus ad delicias usque Collegium communitum Gregorius voluit. Quieti ejus, ac securitati prospexerat ab initio, designatis ex amplissimo Cardinalium ordine Vviris (Protectores vocavit), quibus curæ esset Collegii jura, res, privilegia tueri, temporibusque ejus numquam non adesse, tanta in eos collata potestate, ut de causis Collegii cognoscere ac judicare nemo præter ipsos posset. Per hæc ventum erat ad annum sæculi LXXVII., cum ad gentem quoque Hungarorum, jam inde a temporibus sanctissimi Regis Stephani eximie Catholicam, ac perdiu sacrorum cultu florentissimam, nunc vero & Turcarum colluvie temeratam, & novis hæreticorum opinionibus fœde corruptam, Gregorius reflexit oculos. Et miseratus gentis nobilissimæ, bellica in primis laude inter cæteras inclytæ, statum, ex tanta fortuna adeo calamitosum, quam Germaniæ medelam adhibuerat, eamdem adhibere statuit Hungariæ, simili nationis hujus Collegio in Urbe condito. Id nempe alte defixum gerebat animo, qui modo adolescentes essent, tempore grandes natu viros fore, & totam consiliis eorum rempublicam administrandam. Qui proinde si Catholicæ pietatis disciplinam hauserint, penitusque combiberint a prima ætate, eam postea & sancte professuri ipsi sint, & late inter suos propagaturi. Hoc ergo consilio, ut erat in recte factis moræ omnis impatiens, eodem illo anno MDLXXVII., ad Calendas Martii, diploma dedit, quo Collegium Hungaricæ Juventutis in Urbe constituebat, Societatique Jesu regendum tradebat. Ei dotalem in fundum assignabat opimum prædium S. Mariæ in Celsano, ad Galeriam oppidum, in Portuensi Diœcesi, idque præter templum, ad quod ea possessio spe-

40. Cardinales Protectores Collegio imponit cum amplissima potestate.

41. Collegium etiam nationis Hungaricæ Gregorius decernit.

42. Bulla de erectione Collegii Hungarici, cum assignatione proventuum.

ctabat, S. Stephani in Monte Cælio. Paucos vero, qui id templum cum cænobio proximo obtinebant Cænobitas, S. Pauli Eremitarum primi disciplinam sectantes, natione Hungaros, migrare alio ad præscriptum Cardinalis Protectoris sui jubebat. Diplomate eodem novo Collegio addicebat Ædem alteram S. Stephani Hungarorum Regis, & adjacentem ei domum hospitalem prope Basilicam S. Petri, quæ erat domus excipiendis adventantibus ex Hungaria peregrinis destinata, & justo in id censu munita. Hic quoque Cænobitæ pauci ex ea, quam dixi, Pauli Eremitæ familia considebant, Xenodochii reditus administrantes, & hospitalitatem erga suæ gentis advenas exercentes. At raro cum advenirent ex Hungaria peregrini, & vix huic charitatis officio esset locus, Gregorius verius duxit, amotis inde Eremitis, domum atque ædem sacram eam cum suo proventu transferre in dotem Collegii Hungarici, cum hoc tamen, ut quoties adessent Hungari peregrini, iis per dies tres necessaria Collegii sumptu præberentur. Qua conditione accepta, Collegii Procuratores, tum Xenodochii hujus & templi S. Stephani Regis, tum templi cænobiique S. Stephani Protomartyris, omniumque bonorum, fortunarum, ac jurium, quæ subjuncta iis erant, possessionem rite adiere. Addubitatum nonnihil est, qua collocarentur ad convivendum domo Juvenes, qui primi accitu Pontificis ex Hungaria venere. Binæ vacabant domus, ab iis quos dixi Eremitis relictæ, & erant ambæ, non modo justæ familiæ capaces, sed jam Collegii ipsius, ut ostendimus, propriæ. At imparatæ cum essent ab omnibus rebus, prætereaque remotioribus sitæ locis, & nimis multum a Collegio Romano distantes, placuit Cardinalibus recipi eos interea in Collegium Germanicum, dum hac de re consultius decerneretur. Biennium integrum Hungari Alumni Germanis admixti fecere, ac toto eo tem-

43. Onus hospitalitatis Collegio impositum.

44. Primi ex Hungaria Alumni in Collegium Germanicum recipiuntur.

45. Deinde in eo perpetuo consistere jubentur, nulla re a Germanis diversi.

temporis ſpatio compertum eſt, non modo utriuſque gentis ingeniis optime convenire, ſed incendi invicem ad laudem Juvenes, incitarique æmulatione virtutis. Pulchrum id porro eſſe, ac fovendo ſtudiorum ardori peropportunum videri. Bene etiam Collegio utrique ceſſurum, ſi utriuſque jungerentur opes, quæ diviſæ minus valerent, ſibique mutuo auxilio eſſent. His cognitis rebus Gregorius, ſimul intelligens non poſſe ſine ingenti ſumptu novam conduci, aptari, ornarique debito inſtrumento domum, ut impenſarum compendium faceret, manere Hungaros in eadem cum Germanis domo juſſit, non tecto ſolum conjunctos, ſed nulla admodum re diverſos, deditque hac ſuper re proprium ac peculiare diploma Idibus Aprilis, anno MDLXXX. Diplomate eodem numerum Hungarorum ad duodecim præfiniebat, reſpectu ſcilicet habito ad Sacerdotes totidem, quibus olim Sanctus ille Rex Hungarorum Stephanus perpetuam Romæ ſedem, & certos ad vivendum fundos dediſſe fertur. Sic duo in unum Collegia coaluere, moſque poſt illud tempus obtinuit, ut id Collegium vulgari appellatione Germanicum & Hungaricum dictitetur, quippe ex duplici natione compactum. Sed quando de templo S. Stephani in Monte Cælio eſt facta mentio, nefas hoc loco duxerim non in eo paululum immorari, quæque de tam vetuſto ac ſumptuoſo ædificio ſcitu digniora ſunt, prætermittere. Sedet in aperto atque edito Colle, uno ex ſeptem Urbis notiſſimis, cui Cælii nomen antiquitas indidit. Operis eſt perquam magnifici, habetque in circuitu e marmore Ægyptio columnas ſex & quinquaginta, quas ordo duplex in orbem diſtinguit, unde a figura templum S. Stephani Rotundi appellat vulgus. A priſcis Romanis fuiſſe conditum, & Fauno ſuperſtitioſo Numini conſecratum, communior eruditorum opinio eſt. Vera ne ea ſit, non definio. Certe id vero ſimilius,

46. Notiones hiſtoricæ circa Templum S. Stephani in Monte Cælio.

quam quod aliqui dixere, conditorem ejus fuisse Divum Stephanum Hungarorum Regem. Hujus enim opinionis vanitatem, cum structura ipsa & forma operis, quæ remotissimam antiquitatem redolet, tum litterarum monumenta aperte revincunt. Sane constat, sanctissimi Regis Stephani munificentia quoddam fuisse templum in Urbe conditum in honorem Stephani Protomartyris, ac duodecim Sacerdotum Collegio auctum; sed quale illud sit, siquidem adhuc extet, prorsus incertum. Atque ego quidem vehementer assentior Pancirolo, aliisque harum rerum indagatoribus, qui haud vana conjectura conficiunt illud ipsum esse, quod nunc S. Stephani in Piscinula vocant, ducta appellatione a foro Piscario, quod forte eo loco olim fuit, ac templo titulum fecit. Cæterum hoc, de quo scribimus, multo ante Regis Apostolici tempora Simplicius Pontifex ab Ethnicorum sordibus expurgatum Sancto Protomartyri dedicavit. In eo deinde Magnus Gregorius titulum constituit Presbyteri Cardinalis, & stationem feria sexta, quæ Dominicam Palmarum proxime antecedit. Quin eumdem sanctissimum Pontificem in hac Æde concionem quandoque habuisse ad Populum Romanum, docet præfixus Homiliæ ejus quartæ in Evangelia titulus.

47. De Sacris Corporibus SS. Primi, & Feliciani in hoc templo repositis.

Extat etiam nunc vetustissima sella e marmore, quales in antiquioribus Urbis Basilicis multæ conspiciuntur, in qua tum Gregorium, tum alios Romanos Pontifices sedere consuevisse putandum est. Præter hæc vetustatis documenta, Theodorum Pontificem scimus anno Christi DCXLV. Sanctorum Martyrum Primi & Feliciani sacra corpora ex Nomentano Arenario in hoc templum intulisse, ac decenti loco condidisse. Quæ quidem hac nostra ætate, nobisque adeo præsentibus & inspectantibus, Antonius Xaverius Gentilius Cardinalis, utpote templi hujus titulo insignitus, e latebris educta, rite coram testibus recognovit,

vit, tranſtulitque magna celebritate nobiliorem in arcam, ac nova excitata egregii operis ara, honore cultuque auxit. Illud haud minus conſtat, id olim templum Baſilicæ Lateranenſi fuiſſe ſubjunctum, ceu matri filium, proindeque Sacerdotem ab ea perpetuo ali conſueviſſe mercede conductum, qui templi cuſtos, & Ædituus eſſet. Sed ſive homo venalis ſuo munere indiligentius, ut aſſolet, fungeretur, ſeu dies ipſa ac ſenium induſtriam ejus vicerat, certe Nicolaus V., non modo incultum & ſquallens, ſed ruinoſum reperit. Quare inſtaurandum ſuſcepit, disjectoque quo claudebatur muro ampliore, alium circumduxit interiorem, perampli alioqui ambitus, & lacunar duplex pro duplici columnarum ordine impoſuit. Tum circumſpicienti quos ei addiceret cuſtodes in poſterum, divinique cultus & ſacrorum Miniſtros, objecere ſe Eremitæ, quos ſupra commemoravi, S. Pauli, ædiculam proximam habitantes S. Salvatoris, ut vocant, in Unda. Oriundi erant ii ex Regno Hungariæ, ubi is ordo & numero & dignitate claret, atque inde Romam ibant redibantque, ut Majorum imperia, aut neceſſitas ferret; nihilque habentes certi proventus, ſola Fidelium liberalitate victitabant, cætera probi piique, & in magna apud populum opinione ſanctitatis ac fama, quam religioſæ conſuetudinis exemplo collegerant. Hos ergo Nicolaus Pontifex, e ſuis eductos anguſtiis, tranſtulit ad S. Stephani, donavitque horto contiguo, & prædio quodam Tuſculano, quod deinde Burgheſii, ſumptuoſam illam Mondragonii Villam extruentes, ex Collegio redemerunt, ac ſuam ſoluto pretio fecerunt. Addidit & alios quoſdam cenſus momenti levioris, quibus vitam ſat commode tolerarent. Sic ibi collocati Eremitæ excurrebant identidem pietatis inſtinctu ad rurale Virginis templum in Celſano, prope Galeriam oppidum, XIII. ab Urbe lapide, quod ea tempeſtate ad gen-

48. Ut Templum poſſederit Baſilica Lateranenſis.

49. Ut illud inſtauraverit Nicolaus V., & Eremitis S. Pauli utendum dederit.

50. Ut prædium Eremitæ aquiſierint S. Mariæ in Celſano.

gentem Urſinam jure patronatus pertinebat, & Divinæ Matris cultum, templique ejus venerationem late per circumpoſita propagabant. Qua moti pietatis ſpecie pii conjuges, Joannes Jordanus Urſinus, & Felix de Ruvere, Bracciani Duces, impetratis Julii II. litteris Apoſtolicis, non illud modo templum, ſed agrum præterea adjacentem hominibus tam bene merentibus mancipio dedere, anno rep. ſal. MDXII. Hoc auctu Eremitæ, pauci cum eſſent numero, vitam commodius agitabant. Verumtamen ad Gregorii tempora cum devenere, poſt annos a Nicolao V. omnino centum & ſeptendecim, ſtationem relinquere, uti diximus, ſunt coacti, propterea quod Chriſtianæ Reipublicæ minus utilis eorum opera (quæ totidem ſunt Gregoriani diplomatis verba), quam Collegii Hungarici nova inſtitutio videretur. Nec tamen Collegio pacata admodum, ac ſine moleſta interpellatione fuit poſſeſſio templi S. Stephani in monte Cælio. Nam, ut paulum ad ſuperiora me referam, quo tempore Nicolaus V. Eremitas ad hoc templum, ut dictum eſt, tranſtulit, Canonici Lateranenſes, etſi nihil palam auſi repugnare Pontifici, at ſcriptum ab iis abſtulere, quo pollicebantur, ſi quo caſu inde abſcederent, non alteri ſe templum quam Lateranenſi Baſilicæ reddituros, atque hujus pactionis publicas confici tabulas curavere. Quibus poſt Gregorii mortem productis, templum ut ſuum repetentes, dicam Collegio ſcripſere, litemque intentavere, quam eo uſque ſunt proſecuti, dum adjudicato poſſeſſoribus templo, cauſa cecidere. Jam ut eo, unde paulum digreſſi ſumus, narratio redeat, poſt conſtitutum eo quo diximus modo duplex in una domo Collegium, & utrumque rebus omnibus neceſſariis probe firmatum, ac ſtabilitum, aliud deerat nihil, quam ut novæ ſcriberentur leges, quibus diſciplina Alumnorum, atque omnis vivendi agendique ratio contine-

51\. Lis Collegio intentata a Baſilica Lateranenſi ſuper Templo S. Stephani.

52\. Bullam Conſtitutionum Gregorius edit ad perpetuum Collegii regimen.

tineretur. Nam tametsi optimis institutis gubernata ad eam diem Juventus fuerat, & quæ S. Ignatius primum, deinde Cardinales Moronus & Comensis præscripserant, ita erant rebus accommodata, ut iis nihil addi, nihil detrahi videretur posse, quædam tamen in melius commutanda docuerat magistra omnium rerum experientia. Et demum placebat ab ipsomet Pontifice Collegii conditore leges juberi, ut tantæ auctoritatis legislatori major esset reverentia, nec fas earum violare quisquam auderet. Rejecta hæc cura est a Gregorio in annos ultimos sui Pontificatus de industria, ut usu longo scilicet & consuetudine uberior, intimiorque compararetur naturæ, indolis, affectionum Germanicæ & Hungaricæ Juventutis peritia, atque inde aptiora, ac congruentiora decerni possent. Ergo ubi satis explorata omnia fuere, anno MDLXXXIV. diploma legum sanctissimarum Pontifex edidit, tum Moderatorum officia, tum Alumnorum omnem institutionem disciplinamque complectens. Quod quale sit, ad calcem libri hujus videre erit. Tenuere leges hæ usque in præsens; Nec enim iis derogare cuiquam nisi Pontifici Maximo, ac Cætui Cardinalium Protectorum licet, quibus etiam nova statuta condere, ut res ac tempus postulaverint, permissum est.

53. Leges Gregorianæ non adstringunt conscientiam.

Notatum volumus tamen, etiamsi Pontifex legum lator imperantis, ac præcipientis in modum edicat quid fieri, quid caveri velit, iis verbis non adstringi Alumnorum, aut Moderatorum conscientiam, nisi qua alia lege res ipsa jussa vetitave sit; id quod Gregorius XIV. rogatus respondit, ac proprio diplomate declaravit.

54. Obitus Gregorii XIII. Ei funebria persolvunt Alumni etiam nunc.

Sic demum omnibus confectis ad votum rebus, crescente in dies Collegio, non Alumnorum solum numero, & generis claritate, sed etiam fama ac commendatione virtutis, diem supremum Gregorius obiit, IV. Idus Aprilis, anno MDLXXXV. Mortem ejus multis ac veris lacrymis Alumni, ut in tri-

stissima

ſtiſſima orbitate fleverunt. Parentatum illi eſt funere apparatiſſimo tribus continenter diebus in D. Apollinaris, inſtitutumque ut perpetuis deinceps temporibus, eodem recurrente quotannis die, aut certe intra menſem Aprilem, idem Pontifici merentiſſimo pietatis officium ſolveretur.

55. Quanta benevolentia Collegium complecteretur Gregorius.

Quod hodieque fit, quamquam partem ejus immortalem Cælo jam receptam opinari fas eſt. Beneficus vere Princeps, Paterque Juventutis hujus amantiſſimus Gregorius fuit, quam tanta complectebatur charitate, quanta major eſſe cuivis ergo liberos Parenti vix poſſit. Nam, ut cætera quæ hujus argumenti ſunt expediam, præter multa & maxima beneficia, quæ hactenus recenſuimus, Collegio huic & cupere & benefacere quibuſcunque potuit rebus nunquam deſiit. Inter graviſſima Pontificatus negotia, curaſque multiplices, de Collegio Germanico inquirebat ſæpe, de hoc ſermones miſcebat, hoc prope unum cogitare videbatur. Hujus vero ſucceſſibus lætabatur in tantum, ut nihil ſupra. Obſervarunt Aulici, Principum ſcilicet affectionum intenti & aſſidui indagatores, ſi quando contracto vultu ſubtriſtior, perturbatuſque Pontifex appareret, Collegii Germanici vix illata mentione, exhilarari ſtatim, frontemque explicare, atque ita ingredi in ſermonem, ac ſi negotium eſſet nullum præ manibus operoſius, aut momenti gravioris. Alumnos, quoties ad ſe advenirent, nunquam aditu prohiberi juſſerat. Venientes incredibili comitate excipiebat, detinebatque. Sacerdotia, quæ in Eccleſiis Germaniæ vacarent, petentibus, ſi modo Rectoris teſtimonio commendarentur, nulla tergiverſatione concedebat; his omnia deberi dictitans, & idcirco ſe Collegium condidiſſe, ut Canonicorum, Parochorum, Epiſcoporum etiam, ſi ſuperis placet, ſeminarium pro Germania eſſet. Xenia, cupediæque, atque hujus generis alia identidem e Palatio in Collegium afferebantur, haud magni

gni pretii munera, sed Pontificiæ voluntatis argumenta in maximo habenda pretio. Fuit tamen cum magni ponderis Crucem, ex puro argento affabre factam, misit, quæ etiam nunc inter pretiosiora templi servatur. Ut olim in Collegium se contulerit, cum ad Vallense Palatium Alumni habitabant, ostendimus supra. Rediit iterum ac tertio, cum jam ad S. Apollinaris migraverant, denuo intulit se in domus interiora, totamque circumiit, nullum finem faciens approbandi, atque laudandi ordinem rerum, convenientiam, munditiem, ac subinde rogans ex Patribus numquid deesset, cupidior ipse largiendi, quam illi accipiendi essent. Audierat votum Juventutis esse, ut tot tantisque in se collatis ad præsidium corporis beneficiis, adderet sanctiora quædam e thesauris Ecclesiæ dona ad munimen animæ, illicia scilicet ac fomenta pietatis futura. Nec ipse se minus profusum ac splendidum in hoc genere liberalitatis præbuit. Primo enim Alumnis, tum in ingressu Collegii, tum in digressu, Eucharisticum panem expiata conscientia sumentibus, plenam admissorum veniam indulsit. Sodalitates deinde eorum in honorem Virginis institutas, quæ erant in Collegio plures, probavit amplo diplomate, ac simili indulgentia diebus per annum constitutis fruenda communiit, quibusdam tantum impositis pietatis officiis, quæ more essent recepta. Postremo, quod præstabilius, Alumnis juxta atque omnibus domesticis ac familiaribus, quinquies Orationem Dominicam cum salutatione Angelica ad Aram templi maximam, semel ad minores pie decurrentibus, omnes acquirendas sanxit Indulgentiarum opes, quascunque Pontifices Maximi solemnibus Urbis stationibus affixerunt: Ingens sane privilegium, ac rari exempli, cujus beneficio habent ipsi domi quo ditescant, quodque alii longe quæsitum ire coguntur. Ut summam faciam, hoc Gregorius Collegio, velut eximio quo-

56. Largitiones Indulgentiarum Collegio factæ a Gregorio.

L dam

dam fructu curarum ac consiliorum suorum, maxime delectabatur, nihilque erat quoquo modo utile, aut decorum, quod non in eo optime collocatum crederet. Hac animi inductione similia, non in Urbe solum, sed ubicunque gentium potuit, molienda suscepit, affirmare solitus, hanc Christi Vicario curam esse antiquissimam oportere, ut idonei sacrorum Ministri ubique sint, nec ullibi melius Ecclesiæ opes quam in his efformandis impendi. Quæ ejus consilia collaudantibus, magnopereque promoventibus Cardinalibus Morono & Comensi, quos in intimo habebat auctoritatis & gratiæ loco, præter Germanicum hoc & Hungaricum, de quo scribimus, suum etiam extare in Urbe Collegium voluit Anglis, suum Græcis, suum Maronitis, & Laureti suum Illyricis. Atque hinc prolata extra fines Pontificiæ ditionis beneficentia, Viennæ, Pragæ, Dilingæ, Brunsbergæ, Græcii, Fuldæ, Olomucii, Rhemis, Mussiponte, Claudiopoli, Vilnæ, in ipso adeo Orbe ultimo, atque in extrema Japonia, Arimæ, & Auxuchixami, Seminaria Juventutis condidit, ac justo censu dotavit. Quæ tametsi non videantur huc pertinere, pertinent tamen vel maxime, propterea quod a Collegio Germanico stimulos ad alia progrediendi cepit, ad hujusque similitudinem instituta omnia, & iisdem de Societate Rectoribus tradita in disciplinam voluit. Pertinet immo huc ipsa Collegii Romani, quali nunc Societas fruitur, tam ampla moles, quæque tantam familiam continet, atque sustentat. Nec enim alia Gregorio causa fuit ejus in tantam amplitudinem excitandi, quam ut Collegio Germanico, aliisque aliarum gentium Collegiis, quæ in Urbe condiderat, provideret. Quod ne forte ex vano a me dictum videatur, rem ipsam exscribo ex Annalibus Societatis. *
„ Cardinalis S. Stephani Mathæus Contarellus, cum &
„ Societatis percupidus, & Pontificis perfamiliaris esset,
„ idem-

57. Alia Collegia ad hujus similitudinem a Gregorio condita.

58. Collegium Romanum magnificentius extruit occasione sumpta a Germanico.

* *Sacchin. P. v. lib. 1. n. 50.*

„ idemque Datarius, observato tempore dum de Collegiis a Pontifice institutis sermo miscetur, præclaram sibi dixit videri statuam ab eo factam, sed ei similem, quam in quiete Nabuchodonosor vidit. Quærenteque Gregorio, cur ita censeret: Quia, inquit, Collegiorum, quæ Vestra Sanctitas condidit, Urbanum hoc Germanicum tam affluenter instructum, Caput aureum potest videri: Anglicanum nondum ita ornatum, pectus argenteum: Eademque ratione e reliquis sunt aliis alia melius ab re domestica constituta, quæ statuæ femoribus, tibiisque respondeant. Cæterum omnia pedibus nituntur quasi terreis, fundamento ægre cohærente, ac nisi fulciatur, tandem lapsuro. Expectante Pontifice ut edissereret, quosnam diceret ejusmodi pedes, addidit: Nam pedes, quibus hæc præclara moles insistit, Romanum ego Societatis Jesu Collegium dixerim. Id nimirum cæterorum Alumnos Collegiorum cum moribus informet ac litteris, omnia, si recte existimamus, sustinet. Sed, ut nunc quidem se habet, ita angusto ruinosoque tecto continetur, ita arcto censu fulcitur, tam multo premitur ære alieno, ut stare diu non possit. Hic vero exhilaratus renidensque Gregorius, Recte, inquit, narras: Ergo fulciamus istos pedes.„ Ex eoque temporis puncto augere Collegii Romani vectigalia, ac tale moliri ædificium statuit, quod ipsa frontis amplitudine ac majestate speciem Romanæ magnificentiæ præferret. Sed jam de Gregorio quod satis visum est executi, de Lauretano Collegii hujus primo Rectore, atque altero, si ita loqui fas est, ejus Parente, pauca extremo hoc libro videamus. Nec enim abs re puto erit agnoscere, quales ille Alumnos, qua industria, quibus artibus fingeret; utque ego arbitror, optimus ille erit Rector, qui ad Lauretanum propius accesserit. Principio

59. De Michaele Lauretano primo Collegii Rectore.

cipio naturæ Alumnorum, indolis, ac propensionum acerrimus observator Lauretanus erat, in eoque nervos gubernationis præcipuos reponebat, ut omnes probe atque intime haberet cognitos. Quod ubi confecerat, cupiditatum irritamenta animis eorum subtrahebat adeo solerter, ut nec indulgeret quidlibet, nec negaret omnia, sic contrahens aut relaxans fræna, ut omnes disciplinæ severitatem læti alacresque tolerarent. Auctoritatem, non fastu, non supercilio, non ullo artificio, sed eximia morum innocentia, ac vitæ sanctioris exemplo sustentabat, comis alioqui, atque apertus, aditu facilis, nunquam imperii nimius. At idem parcus verborum, & propositi tenax, parem in tuenda disciplina diligentiam, ac severitatem præstabat. Custodiam legum usque ad supremos apices exigebat. Immorigeros & refractarios, postquam mitiora expertus incassum fuerat, Collegio pellebat, dicere solitus (quod & scripto consignatum reliquit) remedium mali hoc esse ultimum, at necessarium, nec nimio plus differendum, ne paucorum societate cæteri corrumpantur. Nec vero spectandum qui qualesque ii sint. Si modo perturbatores, aut pravi exempli sint, eliminari oportere, ne malum ultra remedium valescat. Anno uno denis missionem dedisse constat. Atque uni cuidam, apud quem litteræ sunt repertæ ad amicum paulo benevolentiores quam calamum pudicum decuit, eodem die profectionem indixit, & ipsa re proficisci coegit, quodque acerbius, sine viatico, & testimonio. Adeo hujus affines noxæ non ferebat. Quoties aliquem sic exauthoratum dimiserat, convocare Alumnos, & austero sermone alloqui, urgereque ad officium solebat, sic ut errorem omnes agnoscerent, ac pœnam formidarent. Ex quo apparet rigidioris naturæ Lauretanum fuisse, qui nihil impunitum dimitteret, nec tam blandimentis quam metu Juventutem contineret. Cæterum

60. Immorigeros, & qui mali exempli essent, e Collegio dimittit.

terum gnarus, non qualescunque sibi Juvenes, sed Ecclesiasticos, ac Sacerdotalis officii candidatos esse concreditos, illud agebat primum, illud summa ope studioque curabat, ut amore cœlestium incenderentur, caduca vero 61.

Pietatis primam curam gerit. Quantum in id profuerint exempla Ven. Rodulphi Aquavivæ.

hæc & fluxa in postremis haberent. Adjutore in id utebatur uno ex Patrum gravioribus, cujus erat Alumnorum confessiones audire, & quæcunque ad animæ cultum pertinent, moderari. Is, ut quemque habebat intime cognitum, singulis aptiora præscribebat, omnes ad perfectiora quodammodo manu ducebat. Accedebant exempla Patrum, maxime juniorum, quibus haud minus advigilabat Lauretanus, illud ab unoquoque postulans, ut præirent exemplo Alumnis, ac veluti facem ad omnem pietatem præferrent. Quo ex numero fuit aliquandiu vir ille sanctissimus, non tam accepto a majoribus, quam fuso pro Christo sanguine illustris, Rodulphus Aquaviva, qui tum in Collegio Germanico studiis Theologicis operabatur, atque hinc in Indicam expeditionem profectus, præclarum Fidei suæ testimonium inter barbaros Salsettanos dedit securi percussus. Cujus aspectu ipso, ut est in litteris ejus temporis, pelli se tacite ad pietatem Alumni sentiebant. 62.

De studio Orationis quo Alumni exercebantur. Documentum hujus rei.

Certa erant intra diem precandi præfinita spatia, neque ab his ulla umquam vacatio indulgebatur, ne tum quidem cum in Tusculanum aut Tiburtinum, ut supra dictum est, ad reficiendas attritas morbo vires Alumni mittebantur. Tunc, ut nunquam nisi plures manipulatim mitti mos erat, ipsi unum aliquem e suo numero eligebant prudentiorem, sibique rerum arbitrum, legumque exactorem ultro imponebant, qui deinde cæteris advigilabat, in primisque ut pietatis officia sancte peragerentur videbat, & quæ demum cunque inciderent, ad Rectorem per litteras referebat. Indicem hujus rei ac testem habeo epistolam Tibure ad Lauretanum scriptam, atque in hæc

in hæc verba conceptam :„ Valemus omnes divino auxi-
„ lio. Rectorem hodie Joannem Adulphum more intro-
„ ducto elegimus. Prius tamen leges illi observandas
„ constituimus, scilicet ut mane & vespere curam Ora-
„ tionis habeat, ante & post mensam gratias agat, in
„ hebdomada semel curet nos convenire, ibique quæ vi-
„ debuntur agat in Domino. Itaque quidquid in poste-
„ rum incidet, de iis Reverentiæ Vestræ prædictus Re-
„ ctor noster scribet. „ Rusticationes eas initio Alumnis valetudinariis concedebat Lauretanus. Sed cum in aperto cœlo, longiore otio, ac liberiore vitæ genere nonnihil remollesceret disciplinæ vigor, easdem postea ipse sustulit, præsertim quod non adeo necessariæ sunt visæ, cum villam suburbanam, de qua diximus, Alumni frequentare cœperunt. Verum hæc obiter, ac dicis causa. Multa jam dicere haberem de studio pietatis, quo sic exculta Juventus spectabatur. Instar omnium sit quod Lauretanus ipse relatum in Commentarios reliquit. Anno piaculari MDLXXV., quo anno tota urbs exterorum undique adventantium concursu, supplicationibus, religionibusque fervebat, Germani quoque Alumni centum & triginta numero, haud semel ad Apostolorum Basilicas supplicabundi processere, sic tamen ad modestiam compositi, ut incessu ipso pietatem meram spirarent. Demissis namque, ac nusquam evagantibus oculis incedebant, aut divina meditantes taciti, aut precarios globulos manu volventes. Quod spectantes Romani pariter atque advenæ, hærebant admiratione defixi. Ac tanta spectaculi hujus admiratio fuit, ut piæ quædam Sodalitates, majori fortasse pompa quam modestia supplicatum ire solitæ, motæ Germanorum exemplò, legem sibi fecerint ab usitatis confabulationibus, oculorumque conjectibus in posterum abstinendi. Ne vero hæc, utpote publica, & in oculis amplissimæ civitatis facta, ostentui fuisse dican-

63. Supplicationes ab Alumnis habitæ anno piaculari.

64. Quantus pietatis fervor exarserit domi eodem anno.

dicantur, is eodem tempore fervor exarsit domi, ut fuerit Majorum auctoritate & imperio comprimendus, ne ultra modum excurreret. Nisi enim aliqui essent injecti fræni, nullum plane modum afflictationibus voluntariis multi faciebant. Alii cilicium setis horridum sibi ad lumbos præcinxerant, idque diu noctuque gestabant. Alii inedia, alii flagris, alii aliis tormentorum formis corpus immaniter cruciabant. Fuit qui ad Basilicas processurus, prius præacutos inclusit calceis scrupulos, quibus ad passus singulos læderentur inter eundum pedes sensu doloris acerrimo. At enim satis non habebat Lauretanus, ut privatam duntaxat, atque, ut ita dicam, sterilem pietatem Alumni colerent; sed dabat operam, ut in alios quoque pium ardorem effunderent. Atque illi satis gnari se, non in suam modo, sed etiam in proximorum salutem tanto labore studioque enutriri, Apostolica ministeria jam tum volentes libentesque, quoad poterant, capessebant. Si quem audierant ex Germania advectum, cujus suspecta esset religio, eum blande circumveniebant, obsidebantque quodammodo, nec nisi pravas opiniones dedoctum, & doctrinam Catholicam aperte profitentem dimittebant. Germanos, qui in publicis nosocomiis ægroti jacerent, adibant assidue, eorum lectulis quantumvis sordidis assidebant, Sacerdotes peccata confitentibus aures dabant, ut ægritudinem, ac mortem etiam pie patienterque exciperent, apta loco ac tempori subiicientes, persuadebant. Nec ferme talium quispiam in Nosocomium deferebatur, quin unus aliquis e Collegio Sacerdos ad ejus solatium evocaretur. Namque hos constabat, cum ob usum linguæ Germanicæ, tum maxime ob pium quo flagrabant animarum studium, suis popularibus adjuvandis aptos in primis utilesque esse. Cohors Romæ est militum hastatorum, e gente Helvetica, quos utpote sui corporis stipatores Pontifex, cum procedit

64. Laboribus Apostolicis Alumni assuefiunt.

cedit in publicum, circa ſe habet, atque in Palatio frequentes alit. Horum cura uni ex Alumnis erat commiſſa, quem proinde illi velut paſtorem ſuum habebant. Ab eo divini verbi, ſacrorumque pabulum ſtatis temporibus accipiebant, apud eum conſcientiæ onera deponebant, eum unum, cum ægrotabant, ad ſe opis ferendæ cauſa accerſebant. Gaudebat his rebus maxime Lauretanus, uti qui ſemel animo defixiſſet, quot eſſent in Collegio Alumni, tot effingi Apoſtolos oportere. Inde etiam cum intelligeret, Apoſtolici muneris partem eſſe varias peragrare terras, ex unaque in aliam peregrinando diſcurrere, his etiam peregrinationibus ut aſſueſcerent, eorum interdum aliquot paria, aut ad Lauretanam Virginis domum, aut Caſſinum, ad montem S. Benedicti memoria nobilem, pedibus iter facere jubebat. Tantum virtuti eorum, ac pietati tribuebat! Sed ne his ultra præfinitam brevitatem immoremur, pietatis cultum excipiebant ſtudia litteraria, altera Lauretani cura, cui nihilo ſegnius inſiſtebat. Nec eſt ut referam quam ſæpe, quam ſerio Alumnos adhortaretur, ut hanc officii partem, ſi non primam, certe inter primas habendam implerent, quotque intra annum, quam exquiſita ſumeret progreſſuum, quæ quiſque feciſſet, experimenta. Ceſſantes increpabat, currentibus ſtimulos addebat, quid Pontificis benevolentiæ, quid hominum expectationi, quid ſibi, quid patriæ deberent ſubinde ſubiiciens. Quibus verborum ſtimulis, & propoſito Doctoratus honore, quem niſi merentibus non deferebat, adeo incitabantur generoſi, atque ab ipſa natura appetentes laudis Juvenes, ut orbem ſtudiorum ſummo niſu & ardore plerique decurrerent, & multi humanis diviniſque litteris demum excellerent. Præter litteras, ſacros quoque Eccleſiæ ritus ediſcere, atque exercere Alumni jubebantur, eoſdem ſcilicet in Germaniam Hungariamque, ubi fere

66. Poſt pietatem ſtudia litteraria Lauretanus promovet.

67. Qua cura inſiſteret Sacris Eccleſiæ ritibus ac cæremoniis.

ſere ex toto exoleverant, reportaturi. Atque id etiam inter præcipuas Lauretani curas fuit. Idcirco Magiſtros inſtituebat ex peritioribus, qui cæremoniis moderandis præeſſent. Neminem produci in publicum patiebatur, niſi ſcientiæ periculo prius privatim facto. Privatis experimentis aderat ipſe interdum, publicis in templo officiis numquam non aderat, inſpector, cenſorque adeo rigidus, ut leviſſima quæque errata notaret, corrigeretque. Si quem vero vidiſſet in ſacri functione muneris garrientem, ridentem, aut huc illuc oculos liberius obvertentem, eum panis tantum eſu, ac frigidæ potu multabat. Hac aſſiduitate ac rigore cenſuræ facile eſt comparatum, ut Eccleſiæ ritus cæremoniæque in D. Apollinaris accuratiſſime, ac ſumma dignitate peragerentur. Inde templo ingens hominum frequentia, quippe quo ſpectatum adveniret populus, non Alumnorum minus modeſtia, quam ſacrorum rituum ſplendore ac majeſtate illectus. Eſt in litteris annuis Societatis, extitiſſe aliquando Romæ Epiſcopos exteros, qui Clericos e ſuis quoſdam mittebant identidem ad S. Apollinaris hac una cauſa, ut obſervarent, ediſcerentque ab Alumnis rationem gerendarum rerum, ad eorum deinde exemplum res ſacras adminiſtraturi in ſuis Eccleſiis. Cæterum ſolo quem vocant cantu Gregoriano res agebatur initio, cui condiſcendo horæ ſemiſſem quotidie Alumni tribuebant. Addi poſtmodum Lauretanus juſſit modulos muſicos argutiores (cantum figuratum appellant), & ſonora inſtrumenta, quorum erat receptus in templis uſus, ſic tamen ut Odæum D. Apollinaris ſoli exercerent Alumni muſicæ artis periti. At mortuo Lauretano, ſeu peregrinæ vocis accentu Romanorum aures offenderentur, ſeu ſtudio Muſices plus nimio avocarentur a ſcholaſticis rebus Juvenes, quæ demum fuerit cauſa, relicto Alumnis in uſus quotidianos cantu duntaxat Gregoriano, ad faciendas

68. Cantu Gregoriano & Figurato Alumni exercentur.

M popu-

populo illecebras molliorum suavitate chromatum, verius visum est Cantores externos & Symphoniacos pretio conducere, qui mos etiam nunc tenet. Atque hæc ferme tota Lauretani administratio fuit, ad annos plus duodeviginti, ut alibi dictum est, producta. Jam ut cum primis extrema contexam, eo Rectore sic ordinata compositaque fuere omnia, cursumque adeo secundum res tenuere, ut fervidissimæ Juventutis Collegium, in tanta multitudine ac varietate ingeniorum, in tanto nobilitatis splendore, qua re plerumque efferri & insolescere Juventus solet, ab austerioris disciplinæ cœnobio vix differret. Ea pax, quies, animorum conjunctio, & index innocentiæ hilaritas inerat. Accedebat Alumnorum erga hujusmodi Moderatorem incredibilis, non solum reverentia, sed, quod magis est, etiam amor, isque adeo constans, ut nullo umquam casu sit immutatus. Documento sit, quod cum Claudius Aquaviva, summus Societatis Præses, amovere Collegio eum, & in Poloniam cum potestate Visitatoris mittere statuisset, ea re commoti perturbatique sunt Alumni in tantum, ut adierint supplices Gregorium Pontificem, ejusque nutu & auctoritate Aquavivæ decretum interverterint. Itaque Magistratum eumdem dum vixit Lauretanus tenuit. Sed neque eo mortuo, quod magis obstupescas, carere Alumni sustinuerunt. Elatus namque cum fuisset, ut tunc moris erat, in templum Professorum Societatis, ibique humandus inter suos esset, intercessere Alumni, reddi sibi optatissimum Patrem ac Rectorem suum magnis questibus deposcentes; reque exorata, cadaver ipsimet sandapylæ impositum succollantes deportavere in D. Apollinaris, atque honestissimo loco condidere, hoc insuper lapidi inscripto elogio, brevi, sed ponderis succique pleno: *Collegii Germanico Hungarici Rector primus, & optimus*. Neque vero intra Collegii fines hæc

69. Quale Collegium fuerit sub Lauretano.

70. Alumnorum eximia benevolentia erga Lauretanum.

hæc tanta benevolentia ſe continuit. Pervaſit uſque in Germaniam, Hungariamque, eam ſcilicet ſecum quotquot Rectorem in Collegio habuerant comportantibus, ac late propagantibus. Itaque ut innotuit illic de Lauretani obitu, id Germani Hungarique paſſim velut acerbiſſimum ſuæ gentis vulnus accepere, ac dolore luctuque publico ſunt proſecuti. Multi etiam in ſuis Eccleſiis ſolemne pro eo Sacrum cum exequiali pompa celebravere. Quid quod Alumnorum unus, haud ſcio utrum amantior, an doctior, qui poſtea ad Jeſuitas tranſiit, Matthæus Schrickius nomine, ne cariſſimi Patris memoria interiret, vitam ejus, reſque omnes geſtas, accurate conſcripſit, ac Romam tranſmiſit, ſuæ in eum voluntatis monumentum nullo unquam tempore abolendum? Magna profecto hæc, & ad Viri commendationem præclara. At enim de Lauretano nihil tam magnifice loquebatur, quam ipſa Collegii fama, quæ eo vivo tanta, tam ſecunda fuit, ut nobiliſſimi quique ex Germania Hungariaque adoleſcentes Romanam hanc inſtitutionem avidiſſime expeterent, arriperentque. Qui cum revertebantur in patriam, opinionem quæ de Collegio erat, non æquabant modo, ſed multis etiam partibus ſuperabant. Obſtupeſcebant ſane eorum conterranei, hos cum viderent, haud ita pridem adoleſcentes primis tantum litteris tinctos, nunc de philoſophicis ac theologicis rebus erudite diſſerere, cum hæreticorum doctiſſimis congredi, conciones ſacras habere, huc illuc ad ſerendam pietatem diſcurrere, omnia, non Sacerdotum modo, ſed Apoſtolorum munia ſtrenue impigreque obire, in alios prope homines verſos. Hæc eadem mirari, hæc fateri ipſimet Religionis adverſarii cogebantur. Atque illi ſectæ Doctores, illi rabulæ importuni, ac latratores effrontes, qui antea ut merum indigorum receptaculum, ac mendicabulorum aſylum Collegium

71. Quanta de Collegio eſſet opinio in Germania, utque eam Alumni æquarent.

72. Quanta apud ipſos Hæreticos Collegii exiſtimatio eſſet.

Germanicum inter gregales traducere consueverant, tam multos eo confluere cum viderent ex flore nobilitatis, mutire jam non audebant. Ubi vero reduces conspiciebant, & quantam doctrinæ pietatisque supellectilem secum ferrent, ut vitam instituerent, quid molirentur, atque hos laudari unos, hos passim deprædicari, sibique longe anteponi intelligebant, urebantur pudore & invidia miseri, multum de arrogantia remittebant, ac rebus suis vehementer timebant. Sed de his paulo copiosius libro sequenti.

BULLA GREGORII XIII.

CONSTITUTIONUM COLLEGII GERMANICI ET HUNGARICI.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

EX Collegio Germanico, quod superioribus annis in Urbe constituimus, magnisque hucusque sumptibus auximus & locupletavimus, Religioni Christianæ, præsertimque carissimæ nobis Germanicæ Nationi, cujus causa initio institutum est, magna cum animi nostri voluptate jam fructus consequuntur non mediocres: unde magis in dies invitamur, ut studiosius in eam curam incumbamus. Frustra tamen a nobis suscepta esse omnia satis intelligimus, nisi illud, quemadmodum optimis disciplinis, & Sacræ præsertim Theologiæ doctrina, curamus imbuendum, ita etiam salubribus institutis communiamus: ut Juvenes in ipsum cooptati normam aliquam habeant, ad cujus præscriptionem & ipsi suas dirigant actiones, & Superiores omnia suorum momenta perpendant officiorum; ætasque illa lubrica ac sæpe prolabens, cujus iter cognitu est perdifficile, in circumscripto ei a nobis virtutis curriculo se exercens, suam modestiam probet & continentiam, paternisque nostris monitis innitens, & monstratam semitam assidue terens, ad propositam gloriæ palmam, non illam quidem corruptibilem sed æternam, inoffenso cursu deferatur.

§.1. Quare Motu proprio certaque nostra scientia in perpetuum statuimus & ordinamus, ut pro subveniendo spiritualibus Germaniæ necessitatibus, quo institutio Collegii spectat, in opportunis ipsius Germaniæ locis viri aliqui pii & prudentes constituantur, qui præclaræ indolis Juvenes conquirant, examinatosque Collegio proponant, ex quibus Superiores Collegii optimos quosque deligent. Sint etiam Romæ tres Examinatores, qui coram Rectore Collegii Juvenes examinent, eosque Juramento (quod tamen, si Superioribus minime necessarium videbitur, possit remitti) approbent aut reprobent. Debent autem viri Religiosi, & Ecclesiastica Beneficia jam obtinentes aliis præferri.

§.2. Juvenes vero in hoc Collegium admittendi ex Superiore Germania, Westphalia, Saxonia, Prussia, Rheno, atque ex Regno Hungariæ, ut hucusque factum est, accipiantur. Oportet enim, ex Germania Provinciisque prædictis centum Alumnos, quod in aliis Literis Apostolicis fuit expressum, in Collegio esse. Si vero aliqua Collegii loca vacua remanebunt, ea poterunt ex Aquilonaribus Provinciis hæresi etiam infectis expleri, modo Juvenes ex his Provinciis valde sint idonei, Protectoresque & Superiores eorum admissionem Catholicæ Ecclesiæ utilem fore judicaverint & necessariam. Nemo tamen ex quacumque gente aut Provincia admittatur, qui, studiis absolutis & Sacris Ordinibus susceptis, certum locum non habuerit, ad quem se recipiat, & in quo boni & eruditi Sacerdotis munere perfungatur.

§.3. Omnes legitimo matrimonio sint nati, bona fama commendati, sano præterea sint corpore, lingua minime impedita, & aspectu non deformi, nullius Religionis desertores, Latinæ & Germanicæ linguæ periti, nihil Romæ negotii aut litium habentes. Sint etiam ætatis maturæ, viginti circiter annos nati: quod si fuerint Nobiles, quique in Superioris Germaniæ Cathedralibus Ecclesiis admitti consueverunt,

runt, tunc minimum ſexdecim annos attingant, & Grammaticam ſciant; ceteri omnes ad Theologica vel Philoſophica ſint idonei. Ignoti, amplumque de vita & moribus teſtimonium non habentes, vel qui extra Germaniam in Aulis aut in Univerſitatibus vixerunt, aut vagi cuivis domino inſervientes ingenitam Germanicam illam ſimplicitatem amiſerunt, ad hanc diſciplinam idoneos non judicamus, eoſque ab ingreſſu Collegii rejicimus: quod Collegii prædicti Superiores obſervabunt in iis omnibus, quos ad hoc vitæ inſtitutum minime aptos eſſe cognoverint. Verum qui bonæ indolis fuerint, nullumque hujuſmodi habuerint impedimentum, poſt legitimum examen, a Præpoſito Generali recipi poterunt; iis qui defectum patientur rejectis, qui omnino admitti non debeant, niſi gravis aliqua cauſa intercedat, & de unanimi omnium Protectorum & Superiorum conſenſu. Paterna vero Præpoſiti Generalis in hoc maxime ſe oſtendat ſollicitudo, ut omnes Germaniæ Diœceſes pro ſingularum neceſſitate & amplitudine juventur, ex eiſque quot poterunt in Collegii loca diſtribuantur: quæ diſtributio mutari poterit, ut ſe mutabit Germaniæ ſtatus, & animarum ſalus poſtulaverit. Si qua vero in Diœceſi non reperiantur ad hanc inſtitutionem idonei Juvenes, alii ex finitima aut alia Provincia deligantur, qui in Collegio inſtituti, ad deſolatas ejuſmodi Eccleſias exemplo & doctrina ſublevandas poſtea dimittantur. Plures autem non recipiantur, quam quot Superiorum judicio atque experientia in Collegio prædicto poterunt commode ſuſtentari.

§.4. Antequam in Collegio quiſquam admittatur, vel in fine ſex primorum menſium, in Superiorum manibus jusjurandum dare debeat, Velle ſe ſtatum Eccleſiaſticum amplecti; Et ad omnes ſacros, etiam Presbyteratus, Ordines, cum viſum fuerit Superioribus, promoveri; Cumque iidem mandaverint, in Patriam ſtatim reverſuros; Juris Civilis aut Medicinæ ſtudia non profeſſuros; Aliam rationem vitæ, aulicam præſertim, non ſectaturos; Sed continuo, ubi a Collegio dimiſſi fuerint, in Germaniam ad juvandas animas remigraturos, etiam ante conſtitutum ſtudiis ordinarium terminum, ſi ita animarum ſaluti conducere, aut pro Collegii commodo Superioribus videbitur expedire. Juret etiam, ſe Collegii inſtituta ſecundum Superiorum interpretationem obſervaturum; Nec a communi omnium Alumnorum vivendi ratione diſceſſurum.

§.5. Poſtquam autem prædicti in Collegium fuerint recepti, Chriſtianam pietatem, & Dei timorem primum, & ſummum Religionis ſtudium ſibi eſſe propoſitum in animum inducant: inde enim ſalutaris & vera initium habet ſapientia. Quare ſtatim pietatis & Eccleſiaſticæ vitæ fundamenta jaciant; vocationem, quam Deus illis impertiri dignatus eſt, etiam atque etiam conſiderent; generalem totius vitæ confeſſionem inſtituant; Divinum Officium recitare, & cæleſtia meditari diſcant; Catechiſmo ſtudeant; iis, quæ in Domo Dei & in Choro a Clericis peragenda ſunt, diligenter aſſueſcant; atque id genus alia: quibus novi Alumni perdiſcendis dies ut minimum quadraginta impendant; nec ante, quam in iis ſe bene exercuerint, Alumnorum veſte induantur, aut ad diſciplinarum ſtudia mittantur, etiam ſi Nobiles fuerint aut Religioſi & in Sacerdotio conſtituti.

§.6. Sex item menſes cuique tribuantur, quibus, an in Collegio perſeverare, inſtitutionemque hujuſmodi obſervare, & propoſitum ad finem perducere velint, ſecum deliberent; & tantum pecuniæ penes Collegii Miniſtros deponant, quantum infra ſex menſes, aut poſt ſtudiorum curſum diſcedentibus ad reditum in Patriam ſuffi-

sufficiat, ne Collegium viaticis gravetur: pauperum tamen ratio habeatur. Quæ sex mensium præscriptio ad novorum Alumnorum probationem concessorum Superiores non arctabit, quominus, si deprehenderint Juvenes ad hujusmodi disciplinam Sacrosque Ordines parum aptos, eos intra sex menses prædictos sine mora possint dimittere. Nemo enim hoc in Collegio est alendus, qui sine spe solidi in pietate fundamenti hinc videatur discessurus; ne forte malus pravi unius Alumni exitus ea destruat, quæ multorum in religione & pietate profectus ædificaverit: neque enim, quibus severitate pœnarum opus est coërcendis, digni sunt hujus vitæ instituto. Tantum igitur retineri eos volumus, qui, sua sponte & amore virtutis, pietatis litterarumque studio vacabunt.

§.7. Omnes in Collegio fraterna caritate devincti eisdem legibus vivant, eadem præcepta servent, sive Nobiles sive Sacerdotes sint; omnium, etiam Religiosorum, idem sit victus & vestitus, honestus tamen & personis Ecclesiasticis Superiorum judicio conveniens.

§.8. Et ut, quod intendimus, spirituale ædificium ad culmen Deo dante perducatur, statuantur ante omnia fundamenta pietatis. Itaque Sacramentorum pius & assiduus usus conservetur, singulisque mensibus sollemnibusque festis ac Dominicis Adventus & Quadragesimæ omnes constitutis per Superiores Sacerdotibus peccata confessi, nisi legitimum intercedat impedimentum, communicent. Quotidie Missam audiant; & mane, antequam studiis operam dare incipiant, dimidiatam horam piæ meditationi impendant; & vesperi, antequam cubitum eant, quartam horæ partem Litaniis & discutiendæ conscientiæ tribuant: & si quis Officium Ecclesiasticum recitare debet, id aliis horis absolvat. Sacerdotes Missæ Sacrificium frequentius Deo offerant, in quo peragendo non minus dimidiata hora insistant. Piæ quoque consuetudines nascentis Collegii omnes perscribantur, & posteris observandæ proponantur.

§.9. Præter constitutos per Superiores Collegii Confessarios, sint in tanta multitudine aliqui rerum spiritualium Magistri, qui pietatis disciplinam primum quidem novis Alumnis, deinde etiam adultis ceterisque omnibus accuratissime tradant; quod si tales Magistri ex ipsa Societate deligi non potuerint, optimi quique ex ipsis Alumnis assumantur, qui ab omni cura omnino vacui hoc tantum munus sollicite subeant.

§.10. Alumni vero studiis quidem addicti, in pietate vero desidiosi, quique suis moribus alios ab ardenti pietatis studio tepefecerint aut quomodolibet averterint, vel a rectis Superiorum consiliis aut obedientia abduxerint, vel hujusmodi facere tentaverint, statim a Collegio dimittantur.

§.11. Festis diebus domi se contineant; orationi, piæ lectioni, Divinis Officiis, Sacris Cæremoniis perdiscendis & exercendis dent operam. Quod si Superioribus incommodum videretur, omnibus diebus festis totum Divinum Officium decantare, in sollemnioribus tamen diebus, & Dominicis Adventus ac Quadragesimæ, & in diebus festis Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorum Omnium, Apostolorum, & Angelorum partim decantetur; partim distincte & devote sine cantu recitetur.

§.12. At cum Autumni tempore a lectionibus vacant, tum maxime in Divinis Officiis perdiscendis & cantandis, ut Superioribus videbitur, se se exerceant: in quo tamen ne remissius aut indulgentius agatur, Rectoris conscientiam oneramus. Eo quoque tempore, aut alio cum studia intermittuntur, ea doceri curent, quæ celebrando Missæ Sacrificio sunt accomodata, præsertim hostias & corporalia parare:

die-

diebusque festis nulla umquam litteraria exercitatio aut Divinum Officium aut Ecclesiarum curam quomodolibet interrumpat seu impediat.

§.13. Beneficiorum in Collegium a Dei benignitate collatorum memoriam pie colant, memoresque sint bene de Collegio prædicto & de se meritorum, & Superiorum, præcipue defunctorum, quorum nomina in Ecclesiarum suarum Sacrario aut in Choro descripta habebunt: proque iis, qui majore fuerint in se usi beneficentia, Anniversaria Sacra perpetuo sollemniter fiant, singulisque hebdomadis pro illis orationes & sacrificia Deo offerantur.

§. 14. Alumni morientes, & in ipso agone, & ab hora transitus usque ad horam sepulturæ, fraternis Alumnorum obsequiis atque orationibcs adjuventur; quorum funeri omnes intersint; & intra octo dies exsequiæ illis pie persolvantur. Quando autem contigerit, aliquem ex Cardinalibus Protectoribus decedere e vita, triduo orationes & sacrificia pro illius anima Deo offerantur; cujus misericordia pro futuro Protectore rogetur, ut talem dignetur Nobis aut pro tempore futuris Romanis Pontificibus suggerere, qui tantum opus amplecti velit, & quam maxima poterit caritate tueri.

§.15. Qui ex Alumnis Superiorum judicio in pietatis studio & in Ecclesiasticis functionibus bene fuerint versati, ad omnes sacros, etiam Presbyteratus, Ordines promoveantur, etiam sine litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, & sine titulo Beneficii aut Patrimonii, etiam extra legitima Ordinationum tempora. Antequam vero Sacris Ordinibus initientur, in Spiritualibus Exercitiis & piis meditationibus per dies ut minimum quindecim contineantur: unoque anno, antequam in Patriam sint profecturi, aut (si commodè fieri possit) adhuc citius ad Sacerdotium assumantur: quo tempore in Sacerdotalibus officiis, atque in Sacramentorum administratione, & in concionibus ad populum exerceantur; ita tamen, ut hac occasione Sacerdotes neque liberiores sint quam antea, neque extra Collegium comedant aut pernoctent.

§.16. Omnes quoque Collegii nostri Alumni a cauponis, & hospitiis locandis, & a quorumvis negotiorum procurarratione abstineant: nullis Ecclesiasticorum Beneficiorum litibus aut controversiis implicentur; nec per Aulas, Tribunalia, laicorum aut externorum aliorumve domos discurrant. Constituatur autem aliquis pius prudens & experiens vir, qui ipsorum Alumnorum negotia sine eorum interventu expediri curet. Alumni sine comite a Superiore illis adjuncto e Collegio egredi non audeant: quod si fecerint, aut comitem deseruerint, vel eo pro foribus relicto negotia intus occulte tractaverint, in Collegium amplius non recipiantur. Non prandium aut cœnam extra Collegium capiant sine expresso Rectoris & Præpositi Generalis consensu; qui Alumnis ipsis, ut extra Collegium pernoctent, aut post Solis occasum cœnent, facultatem concedere minime poterunt. Si quis autem ex Alumnis extra Collegium ebrius fiat, in Collegium amplius non recipiatur: quod si cuiquam in Collegio non semel neque casu idem accidat, debet e Collegio dimitti. Ad tollendas autem commessationes, & quæ inde oriuntur scandala, non possit Rector quemquam externum in Collegii Vineas atque Hortos introducere sine Præpositi Generalis consensu: qui eam diligentiam in hoc Collegio gubernando adhibeat, quam, si esset suæ Societatis Collegium, adhiberet; consuetudine autem & modo suæ Societatis non utatur, sed novas regulas proponat, quibus Alumni Collegii privatim & publice secundum Canones & Clericorum sæcularium mores instituantur.

§.17. Litteræ, quas Alumni perscribent,

ſcribent, item eorum libri diligenter inſpiciantur; quæ, ſi quidpiam amatorium, aut bonis moribus perniciofum contineant, comburantur, & qui eos habuerint, ſevere puniantur. Si quis autem deprehendatur litteras impuras ſcribere, ſeditioſas, vel detractorias, malum aliquod conſilium vel vitia quorumvis continentes, ſtatim e Collegio ejiciatur. Eamdem pœnam ſubeant, qui ſeditionis ſpeciem aliquam excitaverint, vel occaſionem præbuerint atque auctores fuerint quominus aliquis Superioribus obtemperaverit; aut ſi quem contra eos re aut verbo concitaverint. Ii etiam ejiciantur, qui injunctam ſibi pœnam detrectaverint; aut, invitis Superioribus, pecuniam occulte retinuerint: quique quemvis maledictis aut injurioſis dictis affecerint, aut percuſſerint, vel Collegii pacem quomodocumque turbaverint, factis item & verbis inhoneſtis, ſtatim, tamquam peſtis quædam, e Collegio extrudantur.

§.18. Ad ea ſe quiſque ſtudia applicabit, eoſque libros habebit, quos Rector cenſuerit. Interpretationes Auctorum in Gymnaſio tantum Societatis audient. Ad Theologica ſtudia quatuor annos aſſignamus, ad Philoſophica tres, totidem ad Conſcientiæ Caſus perdiſcendos. Juris autem Civilis aut Humaniorum litterarum ſtudia nullum in hoc Collegio locum habeant. Harum, quas demonſtravimus, diſciplinarum ſtudiis ultimus annus Alumnis non concedatur, niſi prius in Subdiaconatus ſaltem Ordine ſint conſtituti. Quod ſi quis ad Sacros Ordines aptus non videbitur aut illis indignus, is in Collegio nequaquam retineatur; nec ei permittatur Theologiæ aut quodvis aliud ſtudium inchoare. Sacerdotes autem & virtute & doctrina præſtantes in Theologia Magiſtri creentur, ſine ullo tamen Collegii ſumptu: qui autem Sacerdotii Ordinem non fuerint conſequuti, ad hujuſmodi gradus non ſunt admittendi.

§.19. Studiis abſolutis, dies triginta in Collegio permanendi Alumnis concedantur; quibus tranſactis, non poſſint Superiores amplius eos in Collegio retinere: triginta vero illis diebus non erunt Alumni a Collegii legibus ſoluti, ſed omnia facient ex Superiorum præſcripto. Quæ vero pauperibus Alumnis veſtes, aut pro veſtibus quæ pecuniæ in diſceſſu dandæ ſint, ita Rectori præſcribatur, ut querelarum & invidiæ occaſio præcidatur: Alumnis vero, qui pauperes non fuerint, aut qui ſtudiorum curſum non abſolverint, aut qui ob culpam aliquam dimiſſi fuerint, nihil detur.

§.20. Superiores facultatem habeant aliquos egregiæ virtutis Alumnos, etiam poſt abſoluta ſtudia, in Collegio retinendi, quorum opera utantur in Collegii adminiſtratione, & cura rerum ad Collegium pertinentium; vel etiam ut Alumni prædicti concionibus & adminiſtratione Sacramentorum Germanos juvent in Urbe commorantes; & ob alias huſmodi pias cauſas ad Collegii commodum & animarum ſalutem pertinentes.

§.21. Nullus autem in Collegio, vel poſtquam e Collegio egreſſus fuerit, cauſarum in Curia ſit Procurator; nec cujuſvis Principis aut Prælati negotia etiam ſpiritualia procuret; nec abſolutis ſtudiis quiſquam vel in Collegio vel in Urbe permaneat, ut Curiæ praxim ediſcat.

§.22. Si quis Alumnus divinæ gratiæ impulſu ad perfectionis ſtatum & ad aliquod Religioſæ vitæ genus aſpiret, non debet a quoquam quavis de cauſa impediri, etiam ſi eo conſilio fuiſſet in Collegium ingreſſus, ut, ſtudiis abſolutis, e ſæculi fluctibus ſe in tutum reciperet; dummodo virtute confirmatus, in aliquam Germaniæ Provinciam ſe conferat.

§.23. Loca discedentium Alumnorum ultra annum non vacent; & , si ii ad quos loca vacua pertinent non advenerint, Superiores eorum loco alios recipiant idoneos Juvenes: qua in re nemo poterit Superiores impedire. Erga absentes Alumnos atque in Germania commorantes Rector Collegii paterna utatur sollicitudine, eorum labores cognoscendo, eosque qua decet caritate consolando.

§.24. Collegii Superiores primum pii sint, animarum salutis studiosi, & maximam Divini cultus habeant rationem: Deinde Juvenes maximo cum delectu recipiant, receptos statim in Dei timore accurate institui procurent: Postremo pietati negligentius vacantes, & ad virtutem non valde propensos, sine ulla mora dimittant. Quæ tria ut Superioribus cordi sint, sub obtestatione divini judicii mandamus.

§.25. Maxima quoque habeatur cura Ecclesiarum, divinusque in illis cultus ac ornatus religiosissime conservetur; piique Sacerdotes a Superioribus eligantur, qui in illis semper resideant, ac, ut debebunt, Missas & Divina Officia celebrent; ipsique Superiores pro honore Dei Ecclesiis prædictis liberaliter quidquid opus erit provideant, cultumque in eis ita exhibeant, ut earum reditus primum illis ipsis Ecclesiis serviant. Divinorum Officiorum tempore nullus Alumnus absit: Sacerdotesque viri pii & graves Choro præsint; Sacrarumque Cæremoniarum Magistri sint Divini Officii moderatores. Si quis autem ex Alumnis indignum quid orationis domo, aut inhonestum dicto vel facto, nutu vel aspectu minus honesto commiserit, confestim e Collegio dimittatur. Si quis etiam Sacras Cæremonias discere vel exercere neglexerit, aut ab Ecclesiasticis & Clericalibus officiis alienus fuerit, vel Templum & Chorum fugitet; nisi monitus resipuerit, in Collegio non tolleretur.

§.26. Quæ omnia quia a Rectoris pietate pendent, Præpositus Generalis Rectorem in hoc Collegio constituat virum aliquem rectum, sobrium, prudentem, pietatis & timoris Dei studiosissimum; qui omnes Nationes pari caritatis studio complectatur, & Christianum inter Alumnos amorem conservet; vitæ suæ exemplis omnes ad sui imitationem, & ad cælestis cum Sanctis consortii desiderium inflammet; bonos in virtutis soliditate confirmet; malos a bonis discernat, & ex hoc loco intrepide, nulla cujusquam ratione habita, expellat: sæpe Alumnis eorum vocationem exponat, in Adventus & Quadragesimæ octavo quoque die Alumnis verbum Dei pro statu cujusque explicet; aliis vero temporibus bis quolibet mense salutaria documenta publice proponat, omnesque ad timorem Dei & amorem excitet atque inflammet. Sit etiam Rector Divini cultus, Ecclesiastici officii, Sacrarum Cæremoniarum, Ritusque Romani valde studiosus; Domus Domini decorem amet: neque tamen suæ Religionis non necessarias hic retineat consuetudines, aut in Collegium inducere studeat; sed, pro pia tot Alumnorum institutione, sæcularium Clericorum ritum imitetur; ut Alumni non solum eum monentem audiant, sed ea quoque facientem videant, quæ ipsis facienda proponuntur.

§.27. Spiritualis jurisdictio & animarum cura, quam Ecclesiæ habent Collegio unitæ, totam ad Collegii ipsius Protectores pertinere volumus. Quæ autem tam in spiritualibus rebus quam Ecclesiis curandis fieri debent, marmoreis tabulis incisa in Choro affixa habeantur.

§.28. Superioribus non liceat supellectilem Ecclesiarum vel earum ornamenta cuiquam commodare: ex Reliquiis vero ne minimum quidem vel ipsis Regibus tradi possit, nisi ex sub-

scripto

scripto manu nostra aut pro tempore futuri Pontificis Romani mandato. Si quis aliter fecerit, sententiam excommunicationis incurrat eo ipso.

§.29. Et quia spiritualia sine temporalium adminiculo consistere minime possunt, ideo eorum cura esse non debet in postremis. Quare ipse Rector viros fideles atque idoneos, quot ad hoc erunt necessarii, habere curet: quibus etiam præstandi ab eis officii leges, & quid in pietate & moribus observare debeant præscribat. Quorum primus sit Œconomus generalis, quem si Superiores eligere recusent, duo vel tres probatæ vitæ viri Superioribus ipsis & Protectoribus cogniti proponantur, ex quibus Protectores, quem omnium aptissimum judicaverint, eligant & Œconomum deputent generalem; qui administrationis suæ rationem reddet & Superioribus ipsis & Protectoribus quoties ipsi petierint. Œconomo generali adjungantur a Superioribus alii particulares Œconomi, præcipue vero fidelis aliquis vir, qui Œconomum generalem in tanta rerum multitudine adjuvet, quique ipsius absentis vel etiam ægrotantis vices subire & bene gerere sciat & possit. Singulis vero Œconomis necessaria suorum cujusque officiorum functio scripto tribuatur. Reditus sive pecuniæ Collegii penes fidelem mercatorem tuto deponantur, ac deinde, prout necessitas postulaverit, mandato a Rectore & a duobus Œconomis subscripto repetantur. Nullus Œconomus vel generalis vel particularis, nullus item qui Collegio in quovis munere deserviat, ulli ex Protectoribus vel Superioribus, vel qui in Collegio jus aliquod administrationem vel potestatem habeat, sit sanguine vel aliqua affinitate conjunctus; neque ab aliquo ex prædictis, neque ab ullo alio Prælato aut Domino quovis modo dependeat, aut cum prædictis clientelam habeat. Pater & filius, duo fratres, duo consanguinei in eadem Civitate aut Provincia non sint alicujus Collegii Œconomi; neque quisquam in Collegio deserviat, qui sit sanguine propinquus Œconomo generali, neque ad ipsum aliquo modo pertineat. Bona Collegii quæcumque non locentur Protectorum aut Superiorum consanguineis, nullisve cujusvis Ordinis Religiosis, non magnis Prælatis, non Œconomis aut aliis Collegii Ministris, neque eorum consanguineis, neque ulli qui aliquod jus potestatem vel administrationem habeat in Collegio. Bonorum locationes a Rectore, vel ab Œconomo generali in ipso Collegio fiant, Rectore præsente, atque eas approbante. Quicumque autem bona Collegii sive in Urbe sive extra Urbem locaverit, antequam locatio perficiatur, jusjurandum coram Rectore vel alio deputato præstet, affirmans, se in ea locatione solam Collegii utilitatem spectasse, & propter illam se nullum munus nullamque utilitatem cepisse, aut in futurum exspectare: juret item, se nihil facere aut fecisse ad alicujus instantiam aut commendationem aut propter cujusquam consanguinitatem vel amicitiam: & sine hoc juramento, de quo constet, quævis a quocumque & ubicumque facta locatio irrita sit & invalida. Bona prædicta tertio aut quarto quoque anno a peritis & fidelibus viris visitentur, eorum limites recognoscantur, & si opus fuerit renoventur; atque una cum Visitatoribus, si fieri poterit, adsit aliquis ex Collegii Superioribus, aut saltem Alumnus Sacerdos vir prudens & pius. Œconomus tam generalis quam particularis aliique præcipui Collegii Officiales singulis annis mense Januario fidelis & rectæ administrationis, & ad officium, quo funguntur, aptitudinis, nec non Christianæ pietatis & honestæ conversationis testimonium a Rectore habeant; quod nisi habuerint, eo ipso officiis privati esse censeantur. Societatis vero homines ad temporalem administrationem

non obligentur, nisi de sui Præpositi Generalis mandato: a quo uno in omnibus regantur & corrigantur, & illi soli suæ quisque administrationis rationem tantum reddant.

§.30. Si quid forte in his Constitutionibus desiderari usus rerum magister demonstraverit, aut obscurum fuerit vel ambiguum; id Protectores & Superiores, re mature deliberata, ex communi omnium consensu, suppleant, & declarent, & ad alia extendant. Quivis autem vel Protector vel alius dispensandi potestatem non habeat, sed id fiat ex communi omnium consensu, raro tamen, & nisi ob graves causas, ubi præsertim nulla sit privati commodi aut gratiæ suspicio, sed vel necessitas cogat, vel magnum Collegii bonum agatur, resque ad majorem Dei honorem vel Collegii ipsius commodum manifeste pertinere appareat.

§.31. Quæ omnia & singula in his Constitutionibus contenta ab omnibus tam Alumnis quam aliis quibuscumque, ad quos pertinent, cujusvis status, conditionis, & ordinis, etiam Sacerdotibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub censuris & pœnis Nostro aut Protectorum vel Rectoris arbitrio pro culpæ modo infligendis, mandamus inviolabiliter observari. Decernentes, quascunque alias dicti Collegii Constitutiones a quocumque, etiam a Nobis, emanatas vel approbatas, præsentibus contrarias, nullius esse roboris & momenti: & ex nunc irritum & inane, quidquid secus in prædictis per quoscumque scienter vel ignoranter, etiam obtentu aliarum dicti Collegii ordinationum (quæ tamen per præsentes, nisi his adversentur, abrogatæ non sint), aut alias quomodocumque contigerit attentari.

§.32. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac aliis ipsius Collegii, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam & ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum statuti, ordinationis, rejectionis, onerationis, assignationis, voluntatis, mandatorum, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo octogesimo quarto. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno duodecimo.

M. CARD. S. STEPHANI.

Cæs. Glorierius.

A. de Alexiis.

Loco ✱ Sigilli pendentis.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

LIBER

LIBER TERTIUS

Alumnorum res in Germania gestæ ab initio Collegii ad obitum usque Gregorii XIII.

1. Collegii Alumnos fieri Apostolos oportere.

ID spectasse sanctissimum Societatis conditorem Ignatium cum ad Collegii Germanici molitionem appulit animum, ut quot essent in eo Alumni, tot pro Germania Apostoli efficerentur: id ipsum voluisse Pontifices maximos Julium III. & Gregorium XIII., quorum prior primam operi manum, alter supremam imposuit: id Cardinales Moronum, Cervinum, Augustanum, Comensem, aliosque, qui Collegii primordia vel pecunia, vel consilio, vel alia quavis ope adjutarunt provexeruntque: id demum primos ejus Moderatores, quorum institutis optime constabilita ad hanc usque ætatem disciplina pervenit, satis ut arbitror ex libris superioribus intelligi potest. Jam hæc tot sapientum consilia successum habuisse, ex Alumnorum rebus gestis demonstrare aggredior, intra eos tamen fines contracta narratione, ut extra Gregorii Pontificatum non excurrat. Nam si velim annorum cursum sequi, & quæcunque ad hanc usque diem pro salute mortalium incepta ab iis strenue, feliciterque confecta sunt, memorare contendam, nimis plane operosum negotium suscipere, & multorum voluminum historiam texere necesse habeam. Quamquam non negaverim feraciores rerum primos illos annos fuisse, quam posteriores: seu natura ipsa istiusmodi institutionum, quarum fervidissima esse initia solent, seu quod ea tempestate pauciores e primaria nobilitate Alumni fuere, & Juvenes in tenui fortuna nati difficilia ac laboriosa Apostolatus munia facilius libentiusque capessebant. Veruntamen, ut plures prima Collegii ætas Apostolos, ita multo etiam plures Episcopos, Cardinales, Electores, & qua-

2. Cur plures sub initia Collegii Apostoli quam postea.

3. Succedunt majori numero Episcopi, aliique Ecclesiæ Principes.

vis summa dignitate Principes posterior dedit; nec scias utri plus Catholicæ profuerint rei, hi ne potestate & imperio, an illi labore & industria. Utcunque sit, id ita fieri oportuit, ut prius ex hac palæstra milites rebus exequendis, quam duces imperandis idonei educerentur. Et nos quemadmodum virorum dignitate illustrium, qui ex hac disciplina prodierunt, Indicem accuratum infra subjiciemus, ita hoc libro pauca de Alumnorum laboribus Apostolicis ad specimen exponenda sumimus. Crescente in dies, ut supra memoratum est, fama Collegii, totamque late Germaniam pervagante, crebræ afferebantur inde Episcoporum, jam ad Pontificem Maximum, jam ad Collegii Rectorem litteræ, Alumnos deposcentium, ex iisque aliquot submitti ad se postulantium, in usus scilicet Ecclesiarum suarum adhibendos; Et qui magis viderentur idonei, precibus eorum concedi mos erat. Primus, quod quidem constet, hac de re litteras ad Lauretanum scripsit Daniel ab Homburgo, Septemvir & Archiepiscopus Moguntinus, eique Alumni primum duo dati sunt in paucis egregii, Christophorus Veilhammer ortu Bavarus, & Vitus Miletus Suecus, quibus deinde alii atque alii, ut in loco dicemus, accessere. Venientes amantissime excepit Septemvir. Ac Miletum quidem in aula considere concionibus habendis jussit. Veilhammerum Eisfeldiæ excolendæ applicuit, parvæ provinciæ, sed propter errores inveteratos, atque incredibilem hominum contumaciam, haud facili negotio subigendæ. Jam ante in eo solo naviter desudabat Nicolaus Elgardus, itidem Collegii Alumnus, de quo multa inferius dicturi sumus, totque animarum manipulos colligebat, ut ea potissimum res persuaserit Moguntino Alumnorum operam esse fructuosissimam, & cuivis Episcopo maxime expetendam. Igitur Elgardo se Veilhammerus adjunxit, ac conjunctis deinceps uterque viribus agrum

4. Alumnos exposcunt Germaniæ Episcopi.

5. Primi duo Archiepiscopo Moguntino concessi.

6. Eisfeldiam excolunt Nicolaus Elgardus, & Christophorus Veilhammerus.

agrum sylvescentem excolere perrexere. Vidi Elgardi ad Lauretanum litteras, quibus de adventu Veilhammeri certiorem eum faciebat, & talem sibi comitem obvenisse in loco beneficii multo maximi se habere profitebatur. Addebat tamen iisdem litteris, quod mihi visum notabile, interesse rei Catholicæ ut qui remittebantur in Germaniam Alumni, siquidem posset, doctoratus insignibus essent honestati. Ita quippe vulgi opinione esse comparatum, ut quæcunque ad salutem animæ afferantur, tanquam oracula excipiantur ex ore Doctoris. Contra eadem si quis alius proponat, contemptui irrisuique sint. Huic hominum imbecillitati aliquid condonandum inquiebat, & quatenus liceat, obsecundandum insaniæ, quæ in salutem animarum vertat. Cæterum amoto post aliquod tempus Elgardo, solus in Eisfeldia Veilhammerus mansit, auctus quidem ille titulo ac potestate Visitatoris, at rerum gerendarum magnitudini, ut ipse de se fatebatur, longe impar. Quare suppetias e Collegio petivit, impetravitque a Lauretano socios quatuor, Jacobum Herzæum, Leonardum Saurium, Martinum Weinreichium, & Lucam Murarium, qui ab Archiepiscopo probati, ejusque missu in Eisfeldiam profecti, Veilhammero omnium præside, opus evangelicum facere instituerunt. Pagos atque oppida inter se diviserant, eaque, salutarem doctrinam circumferentes, perpetuo percursabant. Duderstadii, ut in oppido frequentiore, sedem fixerat Veilhammerus, ibique cum Saurio rei communi advigilans considebat. Et nihilominus ipse etiam ad pagos circumpositos identidem excurrebat, non imbri, non hyeme, non præalta interdum nive deterritus, ne ad rusticanam plebem salutis præsidia deferret. Nec tamen par labori constabat fructus. Obfirmabant ad contumaciam hæretici, Deique Ministros vera nunciantes, aut surda aure præteribant, aut cum con-

7. Doctores Laureati cæteris utiliores.

8. Alii in Eisfeldia Alumni collocantur. Eorum labores.

9. Hæreticorum contumacia adversus eos.

contemptu repellebant. Si qui rusticorum errorem dedocti Romano Pontifici sacramentum dicerent, id adeo impotenter accipiebant Magistri hæreseos (Prædicantes vocant), natio hominum æque ferox ac stolida, ut contra innocuos Sacerdotes turbas seditionesque concirent, qui proinde conviciis, sannis, lapidibus interdum, atque omnibus indignitatibus impetebantur. Fuit Duderstadii qui in Herzæum ad aram facientem, dum maxime divinam attollit Hostiam, lapidem grandiusculum summo nisu jecit, haud dubie Sacerdotem aut Hostiam ictu nefario violaturus, nisi conatum impium male directus lapis fefellisset.

10. Christophori Veilhammeri litteræ ad Sodales.

Talia, atque his etiam deteriora viri fortes constanti animo perferebant. De quibus Veilhammerus Romam ad Contubernales olim suos scribens, his verbis claudebat epistolam: „ Facile est, Fratres mei, in Collegio Ger-
„ manico mane divinis meditationibus & lectionibus ani-
„ mam saginare, ubi nemo est qui perturbet. Difficile
„ vero festivis diebus, & Dominicis omnibus, ad tres
„ aut quatuor pagos discurrere, jejunum, in frigore &
„ æstu, imbribus & nivibus, usque ad raucedinem cla-
„ mare, & nullum inde fructum ferre, sed ab omnibus
„ irrideri. Magna profecto requiritur patientia. Hanc in
„ tanta commoditate comparare studeatis, & nitamini.
„ Nolite vobis persuadere perfectos vos esse, aut jam pa-
„ tientia quid sit satis nosse. Decipimini, Fratres mei,
„ mihi credite. Experientiam habere me puto „. Quibus ex verbis cognosci potest, qualem Alumni spiritum
11. ex Collegii disciplina haustum in Germaniam ferrent. Sed quædam paulo distinctius videamus.

Martini Weinreichii constantia adversus hæreticos.

Weinreichio demandata fuerat Parœciæ cujusdam administratio, quam omnes novorum dogmatum pestes fœdum in modum infecerant. Populus Eucharisticam cœnam Lutherano ritu poscebat sub utraque specie. Pastor, ut dignum erat, pernegabat.

Irati

Irati ob eam rem Oppidani, ubi vident Paſtoris Catholici firmitatem precibus expugnari non poſſe, ſuos illi reditus 12. atque alimenta ſubtrahunt. Cum ne ſic quidem flecteretur *Ejus caſtitas experimento probata.* viri conſtantia, vertunt ſe ad artes veteratorias, atque expugnare ſaltem caſtitatem ejus conantur, clam introducto in domum ipſius ſcorto; triumphaturi gaudio ſcilicet, ſi violati pudoris turpem inurere notam homini innocentiſſimo poſſent. Redit ille ignarus inſidiarum, ac nihil tale ſuſpicans, domum. At mulierculam occurrentem, ſibique blanditias parantem ut vidit, exarſit ira ſubita, arreptoque qui primus occurrit fuſte, male profecto eam habebat, niſi celeri fuga ſe ſubduxiſſet. Non impune tamen 13. *Ejuſdem præclara mors in obſequio tabidorum.* improbis ſceleſta machinatio fuit, nec præſenti præmio viri virtus caruit. Invaſit poſt paulo oppidum tetra morbi vis, qua multi paſſim abſumebantur. Weinreichius nulla re caro Gregi, quantumvis immerenti, deeſſe. Quocunque vocaret neceſſitas, diu noctuque accurrere, languentibus quod poterat mali ſolatium afferre, morientibus ſacra miniſtrare. Nam in eo rerum articulo, dante, ut ferme uſuvenit, vexatione intellectum, reſipiebant plerique, & ſacra Catholica flagitabant. Verum ipſe, dum his diligentius quam cautius ſui prope ſecurus inſiſtit, lethale tabum hauſit venis, deportatuſque Duderſtadium, poſt paucos dies inter Sodalium manus & lacrymas victima 14. caritatis occubuit. Eo caſu ſodales, quamquam jactura *Res geſtæ in Eisfeldia lue ſæviente.* tam cari capitis graviter vulnerati, non animo tamen ſunt dejecti. Utque par morbus tota graſſabatur Eisfeldia, parem operam pari ſtudio ægrotis præſtandam ſuſcepere, beatos enimvero ſe prædicantes, ſi pari etiam exitu vitam finire in eo caritatis officio contingeret. Totum triennium ſæviit lues infeſta, magna mortalium edita ſtrage. Hoc autem medio tempore, ſeu caritas impenſa miſeris omni Concionatorum eloquentia potentior fuit,

ſeu calamitas ipſa fregerat quos nulla perſuaſio molliebat, nonnulla rerum eſt facta inclinatio, & illud antea contumax ſolum minus maligne reddidit cultoribus frugem. Sex integri pagi, abdicato Luthero, ſectæque ejus Miniſtris vel pulſis vel exauctoratis, ad partes Catholicas tranſitionem fecere, & in verba Romani Pontificis juravere. Quo ſucceſſu in ſpem meliorum erecti Apoſtolici Operarii, laborem ferebant libentius, & cœpta fidentius proſequebantur. At lue vix extincta, ſoluti metu Hæretici ad ingenium rediere, & ſalutem eorum quærentibus multo uberiorem patiendi quam agendi materiem præbuere. Exemplo ſit quod ſubjicio. Lucas Murarius Parœciæ Dunenſis ſuſceperat curam, Miniſtro Lutherano Archiepiſcopi auctoritate proſcripto. Id autem ita pro imperio, nec alio quam religionis obtentu factum, non Miniſtrum modo, ſed multos etiam e plebe pupugerat. Nam de religione integrum unicuique eſſe debere contendebant quam mallet ſequi. Acerbius tamen rem ferebat Miniſter, quippe officio quæſtuoſo abſtinere coactus. Itaque vindictæ ſtimulis agitatus, adjuncta ſibi magna ruſticorum manu, adit vicinum Dynaſtam Comitem a Schwartzemburgo, virum præpotentem, opumque multarum, itidem perdite Lutheranum, fidemque ejus & auctoritatem implorans, per communem religionem, per quidquid ſanctum ubique eſt rogat, ut ulciſcatur injuriam, non tam, ut ajebat, ſibi, quam ſacroſancto Evangelio, cujus interpres ipſe eſſet, irrogatam, nec Reformatæ Religionis Miniſtros patiatur Papiſtis, (ſic enim loquebatur) ludibrio eſſe. Eadem ruſtici ſucclamantes vociferantur. Ille querelis & clamore inſano incitatus, ut erat ſuopte ingenio præceps in omne facinus, coactis propere armatis fere ducentis, agmen expeditum in Dunenſes rapit. Murarium conviciis primum, deinde verberibus oneratum exturbat oppido, necem

15. Lucas Murarius e ſua parœcia exturbatur ab hæreticis, ac dire vexatur.

necem interminans ni ſtatim abſcedat, & beneficio apponens quod vivum dimittat. Domum ejus Curialem militi deprædandam permittit. Quo facto, ut jam re bene præclareque geſta, diſcedit. Murarius pæne ſemiaminis, ægre per hiemis inclementiam & præaltam nivem moliens veſtigia, Duderſtadium binis inde leucis venit ad Veilhammerum & Saurium, qui ſodalem cariſſimum, plagis prope enectum ac frigore, lætum tamen quod dignus eſſet habitus pro nomine Jeſu contumeliam pati, omnibus fraternæ caritatis officiis refecerunt. At indignum facinus inultum non tulit Moguntinus. Læſum jus territorii, læſam Principis Auguſtalis dignitatem clamans, continuo armatos ad tria millia ſub peritis belli ducibus in Eisfeldiam mittit, quorum ipſo adventu exterritus Schwarzemburgicus facti veniam ſuppliciter petiit, ac de injuria ſatisfecit. Dunenſes, quo ſe verterent non habentes, clementiæ Principis ſe permiſerunt, cujus juſſu multatis, ut dignum erat, nocentioribus, Murarius ſuam in ſedem eſt reſtitutus. Hæc ita prorſus ut a nobis narrata ſunt ad Lauretanum Veilhammerus perſcribebat, aliaque multa de ſuis ac ſociorum laboribus adjiciebat, quæ ſingillatim perſequi longum eſſet. Elgardus interea, cujus ſupra mentionem fecimus, haud paulo graviorem laborum ac moleſtiarum molem Erfordiæ ſuſtinebat. Eſt ea civitas Thuringiæ primaria, ad amnem Jeram, intra fines Moguntinæ Diœceſeos, & id temporis non potentia minus quam ſacrorum contemptu inſignis habebatur. Pars Civitatis multo maxima Lutherum ſequebantur, adeo præfracte, ut ſpem reſipiſcendi nullam facerent. Nihilo meliores Sacerdotes, quippe non ſolum hæreſi contaminati, ſed otio fluentes ac luxu, ac, ne quid gravius dicam, conviviis ganeiſque intemperantius indulgere ſoliti. Sæpe his malis remedium quæſierat Archipræſul, nunc ſeveritate, nunc beni-

16. In eam reſtituitur ab Archiepiſcopo Moguntino.

17. Nicolaus Elgardus fit Epiſcopus Suffraganeus Erfordiæ.

gnitate usus, at frustra. Omnem ægroti medicinam, tamquam phrenetici, respuebant, curationem omnem morbi vis superabat. Ad extremum Septemvir Suffraganeum, ut vocant, Episcopum hunc de quo loquimur Elgardum creat, & Erfordiensium sacris præsidere jubet, si forte talis viri sagacitate & industria, quam multis antea rebus perspexerat, extricari quid posset. Ergo inunctus rite in Templo Societatis Moguntiæ, & Episcopi Ascalonensis titulo insignitus, Erfordiam Elgardus venit. At eo vix appulsus, plus sane oneris quam honoris sibi impositum sensit. Hominem, ut ajebant, Romanum invitissimi acceperunt hæretici Magistratus, metu de sacrorum cultu ne quid novaret. Quasi vero non ipsi prius res novas essent amplexi, cum repudiato majorum cultu antiquissimo, ad Lutheri signa defecerant. Eumdem ut censorem molestum aversabantur improbi Sacerdotes, sua sibi exprobrari vitia non ferentes. Itaque dictis monitisque ejus vix quisquam Civium honestiorum aures dabat. Tantum plebs infima, magis scilicet ignoratione veri quam animi pravitate prolapsa in hæresim, e superiore sæpe loco dicentem, & doctrinæ cælestis oracula explicantem libenter audiebat, ac propter opinionem virtutis in honore habebat. Ea res ægre faciebat adversariis. Conspirant in hominis innocentissimi caput; & siquidem furori & invidiæ nonnullam imponere honesti speciem placebat, eum deferunt ad Magistratus, quasi leges Imperii infringat, nova dogmata ferens in vulgus, & pacem Religionis turbans Augustanis firmatam pactionibus. Accepta accusatione, fit Senatus consultum ut vocetur in jus Elgardus, intereaque concionibus ac suggestu abstineat. Non abstinuit tamen fortis tenaxque propositi vir, sed illam usurpans Apostolorum vocem: *Obedire oportet magis Deo quam hominibus*, negansque sibi fraudi esse debere quod muneris sui partem fere præcipuam

18. Multiplices ejus molestiæ ab hæreticis.

19. Concionari pergit quamvis prohibitus.

puam impleret, nihilo secius concionari perrexit. Nec vero abnuit causam in judicio dicere. At objecta crimina diluit adeo nervose simul atque perspicue, ut liberatus ipse fuerit culpâ, & pudor improbos accusatores incesserit. Cum nihil hac via esset profectum, agi adversus eum manifestis injuriis cœptum est. Potentiores concitant plebem ingenio mobilem, quæ seditionis in morem coorta, sæpe sannis ac sibilis, interdum etiam lapidibus hominem officio ac dignitate spectandum impetere est ausa. Omnino id ex composito agebatur, ut molestiarum impatientia abscederet sponte, quem vi pellere non licebat. His ipse de rebus fuse scripsit ad Gregorium Pontificem quo primum anno Erfordiam advenerat, stationem tamen non deseruit. Quin anno eodem, ne officio Episcopali deesset, sacro Pentecostes die Sacramentum quod vocant Confirmationis, longa desuetudine jam prope apud Erfordienses abolitum, restituit, ex iisque Catholicorum reliquiis quinquagenos supra centum sacro illitos chrismate initiavit. Sacris Ordinibus initiari major fortasse numerus postulabant, quæstus nimirum, opumque humanarum cupidine divini afflatus vicem supplente. At Elgardus, ad leges Concilii Tridentini rem exigendam ratus, periculum scientiæ instituit, in quo paucissimos cum reperisset idoneos, his tantum admissis, cæteros petitores ut ineptos rejecit. Qua de re scribens ad Cardinalem Comensem: „ Qui tentarunt, ait, ad unum fere omnes reperti sunt ineptissimi, & pro meritis rejecti. Pudet me Germanorum nostrorum turpitudinem revelare, quales larvas ad sacra ministeria tam multis annis protruserint. Miror ego in his locis vel unam animam remanere potuisse Catholicam. Adeo pauci sunt Sacerdotio digni, & tam multi, qui nec foro, nec agro, nec stivæ, nec textrinæ apti, dummodo beneficiolum mercati sint, Ordines „ quos-

20. Episcopalia exercet magna constantia.

21. Ejus litteræ ad Cardinalem Comensem.

„ quoslibet facili negotio coemerunt „. Cæterum ut difficillima Elgardo rerum initia Erfordiæ fuere, sic decursu temporis omnia procliviora sunt facta, præsertim cum adjutores aliquot habuit ex Collegii Germanici disciplina profectos, in quibus Vitus ille Miletus, quem supra memoravimus, fuit. Is nunc apud Septemvirum Moguntinum, ut diximus, sacri Concionatoris munere fungebatur, audiebaturque pari hominum approbatione ac fructu. Eodem tempore quæ factu optima viderentur Principi suggerebat, suadebatque, & totam aulam, non verbo minus quam exemplo, ad pietatis officia exstimulabat. Exstat etiam nunc ejus Epistola ad eumdem Comensem Cardinalem sub idem tempus scripta (nam scribebant Alumni identidem ad Cardinales Collegii Patronos, eosque de suis ac Religionis rebus docebant), qua epistola quoniam non suas tantum res, sed etiam aliquot Collegarum suorum officia laboresque commemorat, eam libet in summam contractam apponere. Principio se quidem, ajebat, prope otiosum videri posse, qui in aulæ umbraculis resideret, aliis in sole & pulvere per aperta camporum usquequaque excurrentibus; nihil tamen sibi minus licere quam otiari. Tum de se, deque iis quibus distineretur curis pauca elocutus, ita pergit. Archipræsuli Moguntino, veterum institutorum retinentissimo; nullam pro præsenti curam esse potiorem, quam ut ad Ecclesiæ obsequium revocetur Eisfeldia. Eo in opere summa fide versari Doctorem Veilhammerum, strenuum ac fortem virum, adjutore Jacobo Herzæo. Utrumque in eam rem multa agere, plura pati, & progressus non pigendos facere. In idem alios alibi Alumnos cum laude incumbere. Erfordiæ Nicolaum Elgardum, Episcopum Suffraganeum, inter sexcentas difficultates sacra Catholica naviter restituere. Aschaffemburgi magno populi concursu plausuque Jodocum Camerarium sacras con-

22. Vitus Miletus egregie rem gerit in aula Moguntina.

23. Scribit ad Cardinalem Comensem de se, ac de aliis Alumnis.

24. Summa litterarum.

conciones habere. Moguntiæ Cornelium Lansteinium, in
Oberroda ac vicinis locis Philippum Furstium, Herbipoli
Doctorem Balthassarem Conigium, & Danielem Staube-
rum, quam acceperint muneris Apostolici partem impi-
gre obire. Sibi non deesse Matthæum Reutterum Spiræ;
at majorem viribus laborem ferre. Brumiæ Petrum Binsfel-
dium, Confluentibus Jacobum Tectonium, Monasterii
Joannem Kaltium, pro se quemque Religionis negotium
urgere provehereque. Omnes & vitæ innocentia, & Ca-
tholicæ pietatis studio, veros se Collegii Germanici Alum- 25.
nos probare. Nondum, cum hæc scribebat Miletus, Mo- De Ætherio Hoffmanno
guntiam advenerat Ætherius Hoffmannus, præclaræ indolis ejusque singulari doctri-
Juvenis, quem florenti adhuc ætate Ammerbaci, in op- na.
pido Moguntinæ provinciæ, concionum sacrarum cursum
per majora jejunia peregisse, & nonnullos hæreticorum
pervicacissimos a perfidia dimovisse tradunt. Hunc Septem-
vir ab Urbe venientem ad Sacelli sui ministerium admi-
serat. Cum vero de præstanti ejus ingenio, vel fama vel
litteris, comperisset, eumdem Romanæ sapientiæ publi-
cum dare specimen jussit, Theologica disputatione insti-
tuta, cujus tanta admiratio fuit, ut in præmium rei feli-
citer gestæ Canonicatu donandum judicaverit, & ipsa re Ca-
nonicum dixerit D. Petri extra Urbem. Ut deinde ad gra-
viora negotia adhibitus Hoffmannus fuerit, non est hujus 26.
loci disserere. Miletus interea, qui hactenus Concionator, Miletus Elgardo
ut dictum est, in Aula Moguntina fuerat, relicta hujus jungitur Erfordiæ.
functione muneris Jodoco Camerario, Erfordiam transiit,
Elgardo, amico ac veterum studiorum socio, adjutor,
omniumque curarum & laborum particeps in ea rerum ad-
ministratione futurus. Cujus adventu tantum Elgardo ad-
junctum est roboris, tantum oneris imminutum, ut scri- 27.
pserit ad Lauretanum, tali addito comite, videri se sibi Eum a concio-
quodammodo revixisse. Et brevi fuit ubi insitam animo nibus deterrere conantur hære-
vir- tici.

virtutem Miletus ostenderet. Ut erat in dicendo æque copiosus ac vehemens, dictisque ejus populus vehementer commovebatur, id ægre ferentes hæretici, ad suggestum properantem bis terque aditu prohibere sunt conati, primo quidem minis intentatis, post etiam lapidibus furenter in eum jactis. Ille tamen, nec tumultuantium insano clamore, nec sæva saxorum grandine exterritus, porro ire
28. ad suggestum perrexit, nec deinceps ad concionem prodire unquam desiit. Accessit irarum nova graviorque causa ex eo, quod circa Paschales ferias de Sacramento Eucharistico differens, dogma Catholicum ad captum populi explicabat, Calvinianorum vero Lutheranorumque ea de re opiniones non aperte minus quam valide refellebat. Qua re offensi supra quam dici possit sectæ Ministri, ac prope in furorem acti, non id satis habuere ut invisum Concionatorem voce palam maledictis proscinderent, sed libellum maledicum, meris contumeliis calumniisque confertum (qui mos ferme hæreticorum, omniumque malam causam sustinentium est) adversus eum ediderunt, inque imperitum vulgus sparserunt, gravi insuper interdicto proposito, ne quis maledictum illum Jesuitam (sic

Libellum maledicum contra ipsum edunt in lucem.

29. passim Alumnos vocitabant) concionantem audiret sub pœna privationis Cœnæ Lutheranæ. Ad ea Miletus, quamquam spernebat cætera, læsam sui existimationem nominis, rem sacra ministeria tractanti apprime necessariam, non tulit. Sed, ut erat non minus scribendi quam dicendi peritus, & ingenio manuque promptus, ad amoliendam infamiam, libello mendaci ac virulento libellum justæ defensionis opposuit, ediditque in lucem, tum Germanice, tum latine. Quod non minus moderate quam libere pro communi jure factum, tametsi ad tuendam ejus famam egregie valuit, hæreticis tamen vocem non inclusit. Nam quis malevolos obtrectatores adigere ad silentium

Suam famam scripto defendit Miletus.

tium queat? Nihil habentes quod contra Mileti innocentiam reponerent, adversus Jesuitas, quorum institutione, ut ajebant, isti sic insolescerent, odia converterunt, ac libellum alterum pestilentiorem, cui titulus *Speculum Jesuitarum*, tota passim Urbe disseminare cœperunt. Neque hunc tamen Miletus incastigatum abire permisit. Recte existimans, unam esse causam Jesuitarum ac suam, eamque cum Religionis causa esse quam conjunctissimam, opus tenebricosum, ne luem inclusam aspergeret multitudini, binis excepit vernaculo sermone libris, jugulavitque sic, ut deinceps paulum resederit hæreticorum audacia, & multi e populo proniores ad excipiendam veritatem sint facti.

36. Societatis quoque Jesu defensionem suscipit.

Atque hæc in Diœcesi Moguntina. Haud minus interim strenue viriliterque res agebatur in Trevirensi sub Archiepiscopo Electore Jacobo ab Eltzio, qui itidem se eximium Collegii Germanici æstimatorem ac fautorem ferebat. Venerant ab initio invitatu ejus Treviros ab Urbe accersiti Juvenes ornatissimi tres, Petrus Binsfeldius, Felix Hortulanus, & Jacobus Tectonius. Sed eæ irrepserant in amplam Diœcesim ex conterminis hæreticorum provinciis malorum labes, ut his convellendis multo majori operariorum numero esset opus. Itaque nova auxilia petivit. Et petenti dati sunt haud absimili ingenio virtuteque Juvenes, Nicolaus Eringius, Guillelmus Lindener, Joannes Saliceus, aliique suis infra locis nominandi. His autem succinctus hominibus pius Præsul, ad sananda suæ Diœceseos vulnera se convertit, atque ab insigni Monasterio Brumiensi sumendum duxit initium.

32. Alumni aliquot in Diœcesim Trevirensem vocati ab Archiepiscopo.

Brumia oppidum est ad amnem cognominem, a Treviris iter bidui, Abbati Monasterii, quod ibi est Ordinis Benedictini, obnoxium. Vetustissimum id Monasterium est. Conditum ferunt sub Pontifice Sergio, ab eoque sacris corporibus Martyrum sex & quadraginta donatum dicitur. Abbatis tantæ erant opes, ut

31. Quædam de Monasterio Brumiensi.

 vix

vix ulli e potentioribus Dynaſtis de potentia concederet. At Monachi, antea diſciplinæ tenaces, & ſanctimoniæ laude florentiſſimi, turbulentis illis Germaniæ temporibus, ut ſunt res humanæ, ſenſim ad remiſſionem licentiamque vitæ defluxerant. Oppidani vero, parum aut male exculti, tantum non aperte fidem Catholicæ pietatis mutaverant. Ad mali cumulum, extincto nuper legitimo Abbate, in ejus locum vi ſe intruſerat Comes a Manderſcheido Vernemburgus, ſecta Lutheranus, atque omnia Monaſterii bona occupaverat. Verum Eltzius Septemvir, Cæſareo ac Pontificio decreto ſuffultus, Abbatem novum creaverat, & poſſeſſore injuſto armis exacto, loci dominatio-

33. *Petrus Binsfeldius reformando Monaſterio præficitur.*

nem, & ſubjuncta prædia in poteſtatem receperat. In hoc ſtatu cum eſſent res, reſtitui in Oppido cultum Catholicum, in Cœnobio priſcam ſanctitatem atque ordinem revocari Septemvir cupiens, id negotii Petro quem ſupra nominavi Binsfeldio dedit, Juveni docto ac prudenti, e Collegio Germanico recens educto. Arduum plane negotium, præſertim Juveni, cujus inter grandes natu viros, & profeſſione Monachos, haud magna eſſe poſſet auctoritas, niſi pietate eximia, nec vulgari doctrina ſuſtentaretur. Binsfeldius tamen ſuavitate & patientia opus in-

34. *Ut rem gerendam ſuſceperit.*

junctum egregie præſtitit. Profectus Brumiam, illiberaliter primum a Monachis eſt exceptus, quippe hominem cenſorium refugientibus. Ille, ne eſſet juſto moleſtior, bis tantum intra hebdomadam ad eos verba facere inſtituit, nunc Regulam S. Benedicti opportunis explanans enarrationibus, nunc de Theologicis rebus erudite diſſerens, atque his aliqua, quæ excitandis ad pietatis cultum animis aptiora viderentur, interſerens. Dies reliquos oppido Concionibus & Catecheſi excolendo tribuebat. Nihil admodum ſuccedebat initio, perinde Monachis atque Oppidanis in deteriorem partem quæcunque afferret accipientibus.

bus. Qua de re ſcribens ad Lauretanum: „ Omnia, inquit, quæ fiunt, in malam Monachi partem interpretantur; unde me non libenter, maxime Seniores, vident, qui eorum vitam noto, mihique cauſam inſtituendæ reformationis tribuunt. Multa video quæ diſſimulare cogor, & interim in animo crucior. Mihi credat Reverentia Veſtra, in nulla adhuc ſchola diſcipulus tantam exercere patientiam coactus ſum, quantam doctor diſco. Sed omnia libenter perferrem, ſi viderem eos pro ſua utilitate laborare, quorum cauſa ego laboro „. Hæc de Monachis. Tum ad Oppidanos deducto ſermone, eos ait Catholicos videri dicique velle, ſed hujus profeſſionis non niſi inanem nomenclaturam ferre, mille erroribus depravatos, & ipſa re Lutheranos. „ Nuper, addit, cum de Miſſa dicere cœpiſſem, plurimi ex Templo fugerunt nunquam reverſuri. Jactant a ſuis Paſtoribus talia non doceri. Sacerdotes ignorantiſſimi ſunt, nihil omnino de divinis ſciunt, aut docent „. His tamen difficultatibus animum non deſpondebat, maturam laboris frugem a die magis, atque ope divina, quam ab induſtria conatuque ſuo exſpectans. Atque interim Romam ad veteres Collegii ſodales ſcribens, magnopere eos hortabatur ut virtutis copiam, dum liceret, ſibi comparare ſtuderent, uſui futuram ſuo tempore, nec alibi melius quam in Collegio comparandam. Juvat ipſa ejus verba referre, minus illa quidem compta, ſed pium ardorem ſpirantia, & animi ejus ſenſa, quo ſimplicius, eo verius apertiuſque prodentia. Multa igitur de Germaniæ neceſſitatibus, de Sacerdotum inſcitia, de bonorum Parochorum paucitate prolocutus, ita ſubjungit. „ Vos Fratres cariſſimi laborate jam pro hieme, quæ veniet. Veniet, veniet tempus, quando memores eritis Collegii Germanici. Quid ſit Collegium Germanicum, in Collegio

35. Ejus ad Lauretanum Litteræ de negotio Brumienſi.

36. Scribit ad Sodales Collegii epiſtolam.

„ Germanico non cognoſcitur. Qui nihil aliud niſi lucem „ inhabitat, de tenebris judicare neſcit, nec lucis præ- „ ſtantia dignoſcitur, niſi quando tenebris comparatur. „ Cælum vos inhabitatis modo, & ego inhabitavi quando „ vobiſcum fui. Converſationem domus veſtræ ſi confe- „ ram cum hominibus hujus mundi, miraculum ſane haud „ exiguum eſt, ſi qui apud vos male vixit, in mundo „ bene vivat. Videte fratres, videte ne occaſionem ne- „ gligatis, ac veſtrum bonum cognoſcite. Utinam talia „ Monaſteria in Germania haberemus, in quibus tanta „ pietatis exercitia, quanta apud vos, eſſent. Felix ni- „ mirum eſſet Germania. Proinde fruimini veſtra felici- „ tate dum licet. Deo gratias agite, & cavete ne ingra- „ ti ſitis, & tantum bonum negligatis „. Hæc ille qua-

37. *Rem feliciter conficit Brumiæ.*

dam velut effuſione ardoris, quo intus flagrabat. Binos ipſos annos Brumiæ Binsfeldius poſuit, lente, ut videbatur, negotium agens, at ſenſim in animos Monachorum inſinuans, & quotidie aliquid ab iis exſculpens, donec facilitate, lenitate, patientia, in primiſque vitæ integerrimæ exemplo captos & conciliatos, ad omnia dociles & dicto audientes habuit, nemine jam renuente veteris diſciplinæ jugum accipere, & ad normam legum vitam inſtituere. Nec minus proſpere geſta res apud oppidanos, ea facta morum atque opinionum commutatione, ut jam,

38. *Evocatur Treviros, & fit Epiſcopus, Vicariuſque Archiepiſcopi.*

non tantum nomine, ſed re Catholicos diceres. Hos rerum ſucceſſus ut accepit Septemvir, hominem tam expertæ virtutis, & cuivis, ut apparebat, negotio ab inſigni prudentia parem, habere apud ſe honore cenſuque auctum ſtatuit. Et ſiquidem debilitari ſibi vires in dies ætate graveſcente ſentiebat, & Epiſcopalia munia per ſe, uti ſolebat, obire ægre jam poterat, Binsfeldium nec opinantem evocavit Treviros, ſacravitque Epiſcopum titulo Azotenſem, vicario in eum officio ac poteſtate translata. Addidit

dit opimam Præpositurам S. Simonis, quo sustinere dignitatem commodius posset. Nihil in nova luce, & ampliore theatro, de usitato vitæ instituto Binsfeldius mutavit. Par modestia, par pietas, eadem in cultu corporis abstinentia. Laborum moles fortasse gravior, cum & Diœcesim amplissimam lustrare, & negotia expedire, & quæ propria sunt Episcoporum sacra ministrare, ad hæc adesse Principi in consiliis, & sententiam dicere cogeretur. Quæ ille omnia summa semper fide ac sedulitate præstitit. Cæteras ejus dotes eximia quædam benignitas ac liberalitas commendabat. Opum contemptor splendidus, e locuplete censu nihil seponebat sibi præter egestatis depellendæ præsidia. Quod erat reliquum, in pauperes erogabat. Egentiores, ne a potentioribus, ut sæpe fit, in judiciis opprimerentur, pecunia ac patrocinio adjuvabat. Quædam etiam scripsit vulgavitque admodum utilia, e quibus quod est *De receptis in Theologia sententiis*, spissum atque eruditum opus, magna doctorum approbatione fuit exceptum. Sed ne in uno hærere cæterorum obliti videamur, Binsfeldii virtutem alii per Trevirensem Diœcesim Alumni æmulabantur. Jacobus Tectonius, quo primum anno redux e Collegio fuit, Canonicatu S. Florini donatus Confluentibus, sacras ad populum Confluentinum conciones per Quadragesimam jejuniorum habuit, tanta eloquentiæ laude, ut parem in dicendo neminem sibi auditum prædicarent homines exactæ ætatis. Felix Hortulanus Parœciam S. Laurentii administrabat Treviris, Joannes Saliceus Polchemensem, Guillelmus Lindener Vilmarinam, Nicolaus Eringius Limponsensem. Omnes in officium intenti, Pastorum diligentium laudem non vulgarem ferebant. Eringii tamen præcipue eluxit ingenium ac diligentia in opere, quod subjicio. Hunc Septemvir ornatissimum Juvenem detinuerat initio apud se velut unum ex familiaribus,

cum

39. Indicantur virtutes Binsfeldii præcipuæ.

40. De aliis Alumnis per diœcesim Trevirensem distributis.

41. Nicolaus Eringius reformat Breviarium Trevirense.

cum eoque transigere plures quotidie horas a publicis negotiis vacuas solebat. Venit forte in sermonem de reformando quotidianæ psalmodiæ codice Sacerdotali (Breviarium appellant), qui codex ad eam diem incerta lege atque ordine apud Trevirenses fuerat. Eringius id ita confieri censuit oportere, ut ab Romana Pii V. forma quam minime abesset. Et accepto rei conficiendæ mandato, jam supplens quod deerat, jam quod redundabat resecans, ordine quæque suo disponens, Breviarium quale nunc est Trevirensi Ecclesiæ dedit, optime ordinatum, atque ab omni parte perfectum. Per hæc alii ex aliis subinde adventabant ab Urbe Alumni, quo ex numero Jacobus Duirrus, Guillelmus Tilius, & Maternus Guillenfeltus fuere. Semptemvir, omnes ex Romana schola venientes benigne

42. *Jacobus Duirrus ab hæreticorum contagione defendit Polchenses.*

complecti solitus, Duirrum Parœciæ Polchensi imposuit. Frequens ea erat incolis, & fidei tenax, at propter hæreticorum vicinitatem periculo obnoxia. Namque accolæ Lutherani, contracta cum Polchensibus ex frequenti commercio familiaritate, eos ad defectionem blandis sæpe sermunculis sollicitabant. Hæc autem ferme ingerebant. Fatuos enim vero Papistas esse, qui a suis Parochis eo usque dementari se sinerent, ut præter ipsos audirent neminem, ac ne libros quidem eruditos, in quibus contraria traduntur, legere ab illis prohibiti auderent. Hos paulum si volutarent, intelligerent profecto imponi pulcre sibi a suis Pastoribus, nec iis se tamquam brutæ animantes ducendos permitterent. Minus quidem certe nexus illos conscientiæ, illas Ecclesiæ censuras expavescerent, vacua nomina, veram Papæ carnificinam. Quæ, & his similia ut altius insiderent animis, ejusdem argumenti libros venenatos identidem supportabant, & amicis legendos tradebant. Inde Parocho assiduus atque infinitus labor erudiendi nutantem in fide gregem, & offusas mentibus tenebras dissipan-

ſipandi. Nihil tamen ægrius impetrabat, quam ut vetitis abſtinerent libris, quorum ſane multos eorum ereptos manibus igni tradidit. Tilius eodem tempore in urbe Confluentina curabat, Canonicus idem, & in æde B. Virginis Parochus, utrumque cum laude. Ea in urbe Septemvir Collegium Societatis moliebatur. Dum paratur inſtruiturque Patribus excipiendis domus, Tilius moræ longioris impatiens, quoſdam ex iis evocavit ſuam in domum, ſua menſa ſuſtentavit, ac plane hoſpitaliter ad aliquot menſes habuit, lætus hanc a ſe poſſe vicem rependi iis hominibus, quos adoleſcentiæ ſuæ duces altoreſque habuiſſet. Similem, & ampliorem fortaſſe hoſpitalitatis laudem tulit per cauſam tumultus Belgici, quo hæretici regionem pervolantes, rapinis, incendiis, ſtupris, atque omni ſcelerum atrocitate omnia humana ac divina jura miſcebant, funeſti belli faces ac furiæ. Tunc enim effundentibus inde ſe multis omnis ætatis ac ſexus, & fuga ſalutem quærentibus, Catholicos Sacerdotes e Belgio profugos excipiebat domi, & quoad poterat ſuſtentabat. Accidit ut Confluentes per eamdem cauſam ſe reciperent ſex ſacratæ Deo Virgines, rerum omnium indigæ, omni humana ope deſtitutæ. Eas etiam Tilius excepit domo, quam Canonicatus titulo poſſidebat, & partim ſua, partim corrogata ab amicis ope diu aluit, binos eodem tempore Sacerdotes apud ſe habens in domo Curiali, quos itidem ex Belgio pavor expulerat. Quibus Chriſtianæ benignitatis officiis ſatis declarabat Sacerdos pius, intelligere ſe quos in uſus expendi Eccleſiæ proventus oporteret. Guillenfeltum Septemvir Canonicum renunciaverat eadem in urbe Confluentina ad S. Caſtoris, cum hoc ut militare præſidium arcis Chrembreiſteinianæ, quæ Trevirenſis ditionis præcipuum munimentum eſt, ſacris procuraret. Ut brevis eſt Chrembreiſteinium ex Confluentibus per flumen

43. Guillelmi Tilii hoſpitalitas in Urbe Confluentina.

44. Maternus Guillenfeltus pietatem ſerit inter milites.

men Rhenum trajectus, eo ſe diebus prope ſingulis Guillenfeltus transferebat, Milites otio, aleæ, jurgiiſque deditos, atque in omnem vitæ licentiam effuſos, qua privatis alloquiis, qua publicis ſermonibus ab triſti vitiorum veterno, quo miſere obruebantur, ad metum Numinis excitabat, peccata confitentibus aures dabat, nullam caritatis induſtriæque partem, quo meliores fierent, prætermittebat.

45. Mors Electoris Archiepiſcopi Trevirenſis. Succeſſor illi datus.

Verum hæc dum ita diverſis per Diœceſim geruntur partibus, Eltzius Elector & Archiepiſcopus, cujus maxime patrocinio ſtabant Alumnorum res, ſenio atque ægritudine confectus diem obiit extremum. Antiſtes idem ac Princeps tanto religionis ſtudio, ut pares ea laude haberet admodum paucos, ſuperiorem fortaſſe neminem. Morte ejus graviſſimum damnum Eccleſia Trevirenſis fecit, & par Alumnorum eo caſu luctus fuit, tam benevolum ac potentem Patronum deſiderantium. Mœrorem lenivit tamen ſucceſſor illi datus Joannes a Schonemburgo, præclaris animi fortunæque ornamentis vir, ex Præpoſito Eccleſiæ Metropolitanæ Archiepiſcopus Trevirenſis, & S. R. I. Elector factus.

46. Adrianus Scheffartus ad Comitia Trevirenſia properat e Collegio.

Comitiis interfuit Adrianus Scheffartus a Merode, æque pius ac nobilis adoleſcens, qui ejus licet Eccleſiæ Canonicus, in Collegio degebat. Namque ut audivit de morte Eltzii, magnis ſtatim itineribus contendit Treviros ferendi cauſa ſuffragii in electione ſucceſſoris. Hac autem vix peracta re, poſt uſitata gratulationum officia denuo properabat Romam, deliberatum habens ad exitum uſque proſequi quæ intermiſerat ſtudia Theologica.

47. Redit Romam novi Archiepiſcopi Nuntius ad Pontificem.

Properantem attinuit tantiſper novus Præſul, captus videlicet egregia adoleſcentis indole, & moribus ſuaviſſimis. Mox eumdem electionis ſuæ nuntium ad Pontificem Maximum, & confirmationis deprecatorem deſignavit, addito legationis ſocio Hugone Cratzio, Eccleſiæ ejuſdem Canonico. Inſtructus igitur

tur usitatis in eam rem litteris, Romam quam celerrime revolavit Merodius, unaque secum aliquot in Collegium sodales, ac præ cæteris Henricum ab Heideno, antiquæ nobilitatis adolescentem, itidem Ecclesiæ ejus Canonicum traxit. Legationem vero injunctam obiit tanta simul oris modestia, & elegantia sermonis, ut dicentem incredibili voluptate Gregorius audierit, magno sibi opere gratulatus tales in suo Collegio Alumnos fingi, talem ab illo tot suis laboribus culto novali frugem reddi. Quo facto, in stationem pristinam se Merodius recepit, atque iterum intra Collegii ac disciplinæ septa se abdidit. Pontificiæ confirmationis diploma, & Pallium, Archiepiscopatus insigne, Cratzius ad Septemvirum deportavit. Simillimam legationem sub idem fere tempus peregit Georgius Helffensteinius, alter Collegii Alumnus. Hunc videlicet ab urbe Trevirensi ad Gregorium Pontificem confirmationis petendæ causa misit recens electus Abbas insignis Monasterii, cui a S. Maximino est nomen. Ex quo etiam licet agnoscere, quanto jam tum in pretio apud Germaniæ Præsules Alumni Collegii hujus essent. Sed ex Trevirensi provincia in Bojariam, quam usitatiore vocabulo Bavariam nominant, gradum faciamus. Rerum ibi potiebatur Dux Albertus, Princeps si quis alius avitæ religionis & cultor & custos diligens, qui cum audisset de rebus sane multis & maximis, quæ per Alumnos Collegii Germanici tota late Germania gerebantur, unum aliquem ex his suæ etiam prodesse Bavariæ cupiens, Veilhammerum, de quo supra diximus, misso ad Moguntinum nuncio repetiit, hominem scilicet ortu Bavarum, sibique jure natalium obnoxium. Negavit initio Moguntinus se daturum quem a summo Pontifice accepisset. Tamen Principi amico, & ad preces descendenti, diu refragari non sustinens, hominem, quantumvis sibi, ut aje-

48. Legationem obit, ac denuo intra Collegium se includit.

49. Simili legatione perfungitur Georgius Helffensteinius.

50. Albertus Bavariæ Dux Veilhamerum reposcit ab Archiepiscopo Moguntino.

51. Egre impetrat. Straubingam Veilhamerus excolit.

bat, necessarium, in Bavariam dimisit. Profectus illuc Veilhammerus, Straubingæ excolendæ imponitur. Hanc urbem ex vicinis Ratisbonensibus nonnulla hæreseos aura afflare cœperat, & metus erat ne ex toto corrumperet. Veilhammerus, suscepta quo decuit studio provincia, jam privatim, jam publice pravas opiniones refellens, non modo labantem inter Straubingenses Catholicam rem sustinuit, sed Civitatem adversus hæreticorum insidias egregie munitam ac tutam præstitit. Ei laborum comes & adjutor aliquandiu Martinus Drumius fuit, qui disciplinæ socius in Collegio fuerat. Sed hunc Albertus Dux, Straubinga evocatum, habere apud se Monachii maluit in sanctiore quodam Consilio, quod Ecclesiasticum vocitabant. Pius nimirum metuensque Numinis Princeps potestatem a summo Pontifice acceperat statuendi pios in usus de quibusdam Ecclesiæ bonis, quæ mali Sacerdotes, aut Cœnobitæ, ob vitam contaminatam profugi, vel proscripti, sine possessore reliquerant. Id autem ut rite ac recte fieret, Consiliarios sibi adsciverat ex ordine Sacerdotali doctos & rerum experientes viros, quorum nutu & auctoritate omnia gerebantur. Et plerumque alendis erudiendisque in spem Sacerdotii adolescentibus, aut Parochis egentioribus sublevandis bona addicebantur. Hunc ergo in Senatum Drumius, ætate licet cæteris immaturior, fuit adlectus. Adeo quod ætati deerat, virtus ac prudentia supplebat. Verum oppugnante hujus auctoritatem Senatus Archiepiscopo Salisburgensi, quasi per speciem rerum meliorum violarentur sacra Ecclesiæ jura, ea res nonnullam optimo Sacerdoti religionem injecit. Hæsit itaque aliquandiu incertus animi quid consilii caperet, & prope abfuit ut honori cederet, quem gerere sine labe conscientiæ non posset, donec, evulgato Pontificiæ concessionis documento, nullam ultra moram objiciente Salisburgensi, ipse etiam quie-

52. Martinus Drumius in consilium Principis Ecclesiasticum adsciscitur.

53. Idem Consiliarius integer, & Concionator egregius.

quievit. Cæterum Consiliarii officio officium aulici Concionatoris Drumius jungebat, pari utrumque cum laude, illud integritatis eximiæ, hoc eloquentiæ. Collega ejus & contubernalis Romæ fuerat Michaël Anisius, atque inde Salisburgum accitus, de divinis rebus aliquandiu ad populum Salisburgensem peroraverat. Postea Monachium venerat, ubi semel jussus pro concione dicere, tam secundo populi assensu est auditus, ut sacram deinceps facundiam in ea urbe exercere coactus sit, ad eum audiendum summis infimisque gregatim concurrentibus. Nihilo minorem oratoriæ facultatis famam Balthassar Conigius collegerat superioribus annis Herbipoli, & nunc in ditione Bavarica colligebat. Quamquam is aliis quoque ornamentis rebusque gestis clarus inter Alumnos fuit. Nam Bojariæ Principibus ob animi candorem, & prudentiæ magnitudinem inter paucos carus probatusque, gravioribus Reipublicæ negotiis sæpe est adhibitus, & interdum ad exteros Principes in legationem missus. Isnensis Præpositus primum, deinde Canonicus Frisingensis, ad extremum translatus Landishutum, & D. Martini Parochus renunciatus, ubicunque fuit, divini verbi ministerio nunquam abstinuit. Eo auctore in æde S. Martini Landishutana Collegium Canonicorum est institutum, cujus cum esset ipse, ut vocant, Decanus, quæ primaria dignitas est, in hanc maxime curam incubuit, ut sacra omnia cæremoniæque Romano fierent ritu. Ejusdem opera sacri cineres S. Castuli Martyris ex Mosburgo oppido, ubi minus decore habebantur, in eam quam dixi Martini ædem sunt translati. Quod tamen præterea conabatur ut Canonici communiter sub eodem tecto viverent, migrarentque in domum, quam in eum ipse usum de suo condiderat, id illi apud Collegas severioris disciplinæ osores conflavit invidiam, & successu caruit. Eodem interea tempore Andreas Backes Monasterium Mettense, in

54. Michael Anisius cum magno populi assensu concionatur Monachii.

55. Balthassar Conigius Orator excellens, & rebus gestis clarus.

56. Quædam ejus acta præclara Landishuti.

57. Andreas Backes in Monasterio Mettensi disciplinam restituit.

in quo vetus disciplina penitus consenuerat, meliorem in statum felici successu reducebat. Hunc Ducis imperio sibi censorem ac reformatorem impositum invitissimi acceperant Monachi, quippe assueti licenter vivere; sibi vero suorum institutorum sanctitatem usque usque oggerentem, nec æquo animo audire, nec ferre poterant. Tamen paulatim patientia ejus lenitateque emolliti, meliora consilia ceperunt, & vitam suo dignam nomine ac professione instituerunt.

58. Bartholomæus Fischerus Collegio Georgiano Rector imponitur Ingolstadii.

Ingolstadii duo locati fuerant excellentis ingenii virtutisque Juvenes, Bartholomæus Fischerus, & Robertus Turnerus, prior ad regendum Collegium Georgianum, alter ad tradendas in publica Academia litteras politiores. Nam qui ex Collegii Germanici disciplina prodiissent, Juniores licet, regendæ docendæque Juventuti supra cæteros habebantur idonei, eoque nomine ab iis, quibus hæc curæ erant, prensabantur. Neque hi opinionem, quæ de se erat, fefellerunt.

59. Collegium regit ad normam Germanici. Ejus litteræ ad Sodales.

Fischerus Juventutem sibi concreditam ad eam regebat normam, qua gubernari Collegium Germanicum Romæ viderat. Easdem consuetudines, eamdem inter suos morum ac vitæ sanctitatem inducere conabatur. Qua de re Romam ad sodales scribens: „ In vestro, ait, Collegio non possunt nisi bene omnia succedere. Utinam „ sanctitatis Collegii vestri unum gradum acquisivisset „ meum. Recrearer profecto, & animarer ad majora. „ Hoc tamen dixerim absque arrogantia, quod Collegium meum, cui indignus præsum, Superiorum meorum voluntati egregie respondet „. His rebus intentum ornare cum vellet Gregorius Pontifex, Canonicum Cathedralis Ecclesiæ Ratisbonensis dixerat.

60. Orta Ratisbonæ contentio de doctoratibus Collegii Germanici.

Arcebant eum tamen ab ineunda possessione Canonici, propterea quod doctoratus insignia non accepisset nisi in Collegio Germanico. Namque hoc Collegii jus, utpote recens, nondum satis inter Germanos cognitum, aut non satis legitimum judicio eorum erat.

Sed

Sed litteris Cardinalis Comensis admoniti de voluntate Pontificis, Fischerum nihil ultra repugnantes in gremium admisere. Et nihilominus, ad præcidendas in tempus posterum ejusmodi disceptationes, qui Lauretano post intervallum successit Bernardinus Castorius, vir hic etiam inter Collegii Rectores insignis, atque immortaliter memorandus, impetravit ab Ferdinando II. Imperatore privilegium amplissimis conceptum verbis, quo delati in Collegio Germanico honores magisterii Cæsareo quoque jure rati ac firmi esse jubentur, quique hinc lauream abstulerint, quarumcunque Universitatum Doctoribus laureatis pares fiunt, & ad omnes Germanicarum Ecclesiarum dignitates idonei pronunciantur. Cujus diplomatis exemplum nos huic libro subnectimus. Turnerus, etsi gente Anglus, in Collegium Germanicum, ut erant ea rerum initia, receptus, amœniores, ut dictum est, litteras in Ingolstadiensi Lycæo profitebatur, & præcepta eloquentiæ tradebat. Quantum vero hac scientia emineret, documento sunt ab eo conscripti, editique in lucem publicam libri, quibus celebre illud doctrinæ emporium haud parum locupletavit, illustravitque. Eorum indicem texere non est hujus loci. Sane plures, & varii argumenti sunt. Præcipuo habendæ in pretio vitæ Pontificum, quas a Platina incuriosius conscriptas reformavit, atque a mendis castigatas excudit. Tum Ludovici Granatensis divina opera, quæ ut omnibus prodesse gentibus possent, ex hispanico in latinum vertit. Per hæc Adamus Orth Straubingensis Ecclesiæ Canonicus renunciatur, & Veilhammero, quem ea in urbe curantem vidimus, jungitur. Erat Adamus humanis divinisque litteris egregie excultus. Nec abfuit diu, cum occasio ei se dedit experiendæ virtutis. Quantam vero doctrinæ gazam secum ab Urbe extulisset, apparuit. Ratisbonæ, proxima in urbe, Smidelinus erat, projectæ vir audaciæ, par-

61. Hac de re privilegium impetratur a Ferdinando II.

62. Robertus Turnerus eloquentiam profitetur Ingolstadii. Quidam ejus libri indicantur.

63. Adamus Orth Straubinga Ratisbonam progreditur ad disputandumcum Lutherano insigni.

partium hæreticarum antesignanus, ac primum columen, qui scientiæ fiducia Catholicos subinde in arenam lacessebat, provocabatque ad certandum de Religionis capitibus controversis. Homini arroganti, & opinionem doctrinæ exquisitioris vulgo habenti, se opponere audente nemine, provocationem hic de quo scribimus Adamus, vix e Collegio egressus, accepit, in eamque cogitationem Straubinga Ratisbonam, adjunctis sibi comitibus aliquot, arbitris nimirum certaminis testibusque futuris, venit. Condicta die, conventum ad disputandum est, circumsistentibus ex omni Civitate doctioribus. Smidelinus telum paraverat opinione sua ineluctabile, quod tamen callide celabat sinu, cum usus posceret producturus, adacturusque in hostem. Ubi ergo incaluerunt disputando animi, pressus vi rationum ac pondere hæreticus disputator, locum ex sacris paginis nescio quem objicit hæbraico sermone. Jamque plaudebat sibi, jam victoriam gratulabatur, ignarum ejus linguæ adversarium, eoque hæsurum attonitum, nihilque responsurum putans. At Adamus, qui hæbraice sciret quam qui optime, loco in suam rem explicato, exsultantem ita repressit confuditque, ut fateri palam coactus sit, sua majores fama Collegii Germanici Alumnos esse, nec sperasse unquam se talem ex Romana institutione pugilem sibi oblatum iri. Sic victor omnium qui aderant testimonio acclamatus, Straubingam Adamus rediit, & victoris in morem magna Civium obviam itione est exceptus. Expetitus post hæc a Canonicis Ratisbonensibus, in eorumque Collegium translatus, partam eruditionis opinionem adjuncto sanctissimæ vitæ exemplo ad cumulum laudis perduxit. Itaque & Decanatus, & Præposituræ honorem suffragiis collegarum tenuit. Nec potestate unquam est usus, nisi ad augendum sacrorum cultum, divinorumque officiorum & cæremoniarum splendorem, qui communi

64. Adversarium confundit, & Victor Straubingam redit.

65. Ejusdem egregia virtus inter Canonicos Ratisbonenses.

muni temporum fato miserandum in modum conciderat, reparandum. Sed in hoc genere nihil memorabilius quam quod Monachii, in ipsa aula Principis, gestum est. Mortuo Alberto Duce, successerat in regnum Guillelmus filius, ille notæ sanctitatis Princeps, qui postea rerum divinarum studio, quamvis esset in ipso robore ætatis, abdicato imperio, privatam, ac meris religionibus deditam vitam prope solitarius exegit. Is sub ipsa regni sui primordia, minus decenter administrari res sacras in aula videns, ut præclare de Alumnis Collegii Germanici sentiebat, ex iis unum poposcit ab Lauretano, quem sacris cæremoniis præficeret. Visus in id maxime idoneus Walramus Tumlerus, qui propterea statim e Collegio in Bavariam est missus. At Monachium appulsus, aditum non impetrabat ad Principem, fraude Sacerdotum aulicorum, qui externum hominem, haud dubie novandis rebus quæsitum, sibique imponendum, ex composito arcebant. Mensem integrum hæsit in diversorio quotidianis repulsis fatigatus, ut jam de re tantum non desperaret. At admissus tandem in conspectum Principis, ab eoque humanissime acceptus, Sacello aulico ac Sacellariis præficitur, sacrarum cæremoniarum Magister appellatus. Non est dictu facile quam perturbata, depravata, sordida omnia sit nactus, in aula cæteroqui eximie Catholica, & regiam magnificentiam rebus cæteris æmulante. Sacerdotes rerum Liturgicarum imperitissimi divina mysteria, non lege ulla, non ordine, nullo dierum discrimine, ut tulisset animus, aut libido, celebrabant. Cantores æque imperiti, & rerum negligentiores, quas vocamus Commemorationes, velut res nihili, prorsusque inutiles, omittebant. Antiphonas mutilabant, psalmos irreverenter mira properantia decurrebant. Sacerdotem quin etiam sacris operantem, si lentius ageret, premebant cominus, & ad festinandum urgebant. Supellex Sacelli squallida,

66. Guillelmus Bavariæ Dux unum ex Alumnis poscit ad ministerium Sacelli aulici.

67. Poscenti datur Walramus Tumlerus, & Sacello præficitur.

68. Depravata omnia Walramus reperit.

69. Omnia instauranda suscipit. Sacerdotes & Cantores edocet.

lida, vestes ipsæ Sacerdotales obsoletæ, semilaceræ, olidæ, sacrorum majestate prorsus indignæ. Quæ intime contemplatus novus Cæremoniarum Præses, facile intellexit novari immutarique omnia oportere, atque in hanc continuo curam totus incubuit. Prius vero quam ad rem ipsam aggrederetur, vocata concione, coram ipso Duce, atque aulæ proceribus, de sanctitate sacrorum rituum erudite disseruit, demonstrans hac augusta specie haud parum Christi religionem castissimam commendari, ac divini Numinis majestatem hominibus quadantenus perspicuam fieri. Tum Sacerdotes, ac minoris ordinis Clericos ex Romanæ Ecclesiæ codice rituali, Cantores ex quibusdam allatis ab Urbe formulis erudire instituit. Sacelli quoque novum confici vasarium, Principe sumptum faciente, jussit. Utque omnia Romano fierent more, misso Romam ad Lauretanum navo homine & industrio, Sacerdotalium indumentorum, rerumque cæterarum, quæ Altaris ministerio sunt necessariæ, quædam exemplaria ad se deferenda curavit, quorum ad similitudinem nova Sacelli supellex conficeretur. Hinc Sacerdotum multæ variæque vestes holosericæ, quædam etiam auro argentoque intextæ, aut acu pictæ, & amiculi linei, & mappæ, & mappulæ, & quæ demum sunt hujus generis alia, in aulico Gynæceo manu virginum sunt elaborata. Addita his per Monachienses opifices cælata ex argento vasa, candelabra, thuribula, calices, & reliquum Sacelli instrumentum, ut nihil neque ad necessitatem, neque ad ornatum ac splendorem deesset. Interim cum & Sacerdotes, & minores Clerici Cantoresque satis ad rem gerendam viderentur instructi, placuit reformati ritus primum specimen dare natalis Christi festo die, quo die tota in aulam convenire Nobilitas erat solita. Et rem moderante Walramo, solemnia ejus diei tanto celebrata sunt ordine ac dignitate, ut magno silentio inter admiratio-

70. Nova supellectile Sacellum instruit.

71. Reformati ritus primum editur specimen.

nem

nem ac reverentiam intuentes hæſerint. Gaudebat in ſinu pius Princeps, eaque de re amabat Walramum vehementer, ac magnifice collaudabat. Non defuere tamen, ut fere in rebus optimis numquam deſunt, improbi obtrectatores, qui apparatum illum, ac vanas, ut ajebant, novitates derídiculo haberent, ac maligne carperent. Quibus compeſcendis principale edictum urbe tota eſt affixum, in quo erat, placere Principi ut ad exemplum Aulæ Romani ubique ritus uſurparentur, & multa gravis pecuniaria, ſi quis obſiſteret, aut obloqueretur, imponebatur. Cujus auctoritate edicti, non ſolum compreſſæ obloquentium voces, ſed plerique Eccleſiarum Rectores ad inſtaurandos Romano more ritus ſacrorum & cæremonias animum appulerunt. Hæc ſi cui forte leviora videantur, is ſciat velim nos, non regni cujuſpiam aut Imperii, ſed Collegii Sacerdotalis hiſtoriam texere; Hæc autem Sacerdotum præclara eſſe facinora, has victorias, hos triumphos, ac tanto quidem cæteris illuſtriores, quanto omnibus humanis rebus divina Chriſti religio, quæ his maxime rebus clareſcit, dignitate antecellit. Sed ut ad rem redeamus, Guillelmi Ducis tam apertus favor, ut ſunt mores aulici, magnam Walramo concitavit invidiam, &, quod fatendum, ex Alumnis etiam, ejus olim collegis, aliqui ad eum dejiciendum conſpiravere. Qua de re nunciantem, ac leniter conquerentem, his Lauretanus litteris ſolabatur, & adverſus malevolorum latratus confirmabat: „ Nondum, ait, „ plane conſtitui mecum, plus ne mœroris, an jucunditatis litteræ mihi attulerint tuæ. Scito tamen quodam „ ſenſu voluptatis vehementer recreatum me eſſe, omneſque triſtitiæ nubeculas depuliſſe, quod triſtiora quæ nuncias, uti religionis cauſa evenerunt, ita laudem tibi maximam paritura ſunt, & amicis non mediocrem voluptatem. Oro te ne concidas animo, neve te commo-

72. Obtrectatores edicto Principis coercentur. Tota Bavaria Romanos ritus amplectitur.

73. Walramum infectantur Aulici, & quidam etiam ex Alumnis.

74. Lauretani ad eum litteræ conſolatoriæ.

„ veant voculæ invidorum. Omnia tamen circumſpice, „ omnia luſtra, ac perpende. Nihil inconſulto vel teme„ re aggrediaris, & cum omnia ad ſalutem animarum, „ ac Dei venerationem referantur, prius omnia Deo Di„ viſque ſæpius commenda, illoſque precare ne tibi de„ ſint, ne pro eorum cultu pugnantem deſerant, ne ope„ ram ac piam induſtriam tuam ab improbis ludificari pa„ tiantur. Equidem acerbiſſime fero quod a quibuſdam „ Alumnis, aut deſeraris, aut ex inſidiis oppugneris. Po„ teris tamen cum Salvatore noſtro canere: *Extraneus*
75. „ *factus ſum Fratribus meis, & peregrinus filiis Matris* „ *meæ*„. Quibus ſtimulis incitatus vir animi ingentis, & recte factorum conſcientia erectus, perſtitit incredibili conſtantia, non in aula ſolum, ſed tota late Bojaria multas, quæ inoleverant, labes & corruptelas convellere. Et ſemel in intimum dignationis & gratiæ locum acceptus a Principe, nefariis adverſariorum machinationibus dejici nunquam potuit. Multa cogor prætermittere, ne nimius ſim. Et occurrendum ſentio ſatietati legentium, quæ ex narratione perpetua rerum ſimillimarum gignitur. Itaque per alios Germaniæ tractus properantius deinceps diſcur-

Malevolorum artes adverſus eum irritæ.

76. ram, & ex magna rerum copia ea tantum, quæ notabiliora videbuntur, excerpam. Vienna, Auſtriaci Imperii ſedes, etſi adnitentibus Principibus Auſtriis ab hæreſi ſemper intacta, tempore de quo ſcribimus nonnihil in hæreſim inclinare videbatur, inventis pluribus civium millibus, qui permitti ſibi Confeſſionem Auguſtanam procaciter efflagitare ſunt auſi. Iniqua petentibus reſtitit quidem invicta conſtantia Rodulphus Cæſar; At ſimul intelligens quid improbæ petitioni ſubeſſet mali, pluribus intra extraque urbem locis diſponi optimos Sacerdotes, animarumque Rectores juſſit, qui nutantem in fide populum ſalutari doctrina continerent. In iis deni ex Collegii Germanici Alumnis fue-

Rodulphus Imperator Alumnos ad tuitionem Religionis adhibet.

fuere. Eminuit tamen Joannis Carbonis, ornatissimi Juvenis, virtus, qui sponte eam in se curam recepit, & magnam laboris molem, non ex officio, sed mero pietatis instinctu subiit. Nam cum videret patere alicubi hæreticorum insidiis Christi gregem, nec esse qui circumfrementes lupos satis viriliter propulsaret, stitit ultro se Pontifici Viennensi, petiitque sibi ut liceret cum bona ejus venia vicinum in oppidum, quinque ab urbe millibus passuum, Divini verbi sementem inferre. Quo facile impetrato, illuc cœpit excurrere diebus festis, & populum frequentissimum (hominum plus novem millia erant) sacris concionibus edocendum, confirmandumque in fide Romanæ Ecclesiæ suscepit. His dum insistit, incidit forte in Cathechismum abominandæ doctrinæ, quem nuper Lutherani Tubingenses ediderant sermone italico. Et veritus, ne si in Italiam pervaderet liber pestilens, Italis quoque, quorum maxime in perniciem editus videbatur, aliquid novi dogmatis adhæresceret, de eo scripsit ad Lauretanum, monuitque ut opus exitiale ad Fidei Quæsitores deferret, vetandum scilicet, atque e fidelium manibus eripiendum. Adeo, non solum patriæ, sed etiam exteræ regionis cura premebatur. Pataviæ, quæ Civitas proprio Episcopo civili juxta ac sacro jure paret, haud minus strenue negotium religionis Georgius Gothardus promovebat. Is Canonicatu donatus in æde urbis primaria, illuc ut primum venit, continuo magnam ab Episcopo iniit gratiam, ea etiam causa, quod Canonicorum præter ipsum nemo erat sacerdotio initiatus, & ipse omnia sacerdotii munia incredibili sedulitate obibat. Sed quanto apud Antistitem gratiosior, eo majori apud Collegas flagrabat invidia, diligentiam ejus suæ accusationem ignaviæ interpretantes. Scholæ Pataviensi Rector impositus, præcepta morum publice prælegebat. Quod inter Ecclesiæ Gymnasiique curas subcesi-

77. Joannis Carbonis Apostolicus labor prope Viennam.

78. Scribit Romam de libro quodam exitiali.

79. Georgius Gotardus pietatis & doctrinæ documenta præbet Pataviæ.

cesivi erat temporis, ita apud se occupabat, ut spatium habuerit conscribendi librum *De bonorum operum & Sacramentorum necessitate*, eruditum opus, cujus unum exemplar Romam ad Lauretanum transmisit. Gothardo deinde comes accessit Christophorus Pettingerus, ex Collegii Alumno Præpositus Pataviensis a Gregorio creatus, de quo aliud nihil dicam, nisi in tanta apud Episcopum fuisse gratia, ut nemini magis prudentissimus Præsul quam ipsi fideret. Ei sane uni graviora Ecclesiæ negotia committebat. Quin Pettingerum semel properare Romam jussit, suum de rebus gravissimis ad Pontificem maximum legatum; per eamque occasionem ad Gregorium scribens, experiri se dixit quantum pietate doctrinaque præstarent cæteris qui Romæ educati in Collegio ejus essent. Constantiæ, quæ item urbs in ditione erat Episcopi, sub clientela tamen domus Austriacæ, elucebat Jacobi Milleri virtus in tantum, ut ei Proepiscopus, absente Episcopo Cardinali Altempsio, Juveni licet talium inexperto, lustrationem urbis demandaverit. Provinciam arduam, ac periculi plenam suscepit Millerus magno animo, nihil deterritus quod reprehendenda multa, præsertim inter eminentiores Sacerdotes essent, multa corrigenda: Res plane difficilior, quam ut fieri sine aliqua offensione posset. Et vero offensi gravissime sunt Canonici, & Parochus S. Stephani, quasi vero dum corruptelas exagitat dictis, convicio violati ab eo, atque injuriosius compellati fuissent. Inde magna iratum moles adversus eum. Missæ statim querelæ atroces, & amaræ contra imprudentem Visitatorem litteræ ad Ferdinandum Archiducem, Tyrolis Comitem, Constantiensium Patronum. Qui nihil cunctatus, Millerum paulo acrioribus increpuit litteris, monens viris talibus, qui & dignitate & virtute inter cæteros spectarentur, non fuisse contra jus fasque inferendam contumeliam.

80. Christophorus Pettingerus præ cunctis carus Episcopo Pataviensi.

81. Jacobus Millerus Constantiæ Visitator ab Episcopo constituitur.

82. Offendit apud Archiducem Constantiensium Patronum, increpaturque ab eo.

Tem-

Temperaret ardori immodico, quantumvis pio: Poteſtate, non ad irritandos alienandoſque homines, ſed magis ad demerendos & conciliandos uteretur. Facile ex his litteris intellexit Millerus falſis delationibus occupatum Principem. Nihil tamen commotus, luſtrationem qua cœperat conſtantia ad exitum perduxit, multis ex uſu Religionis provide ſapienterque factis decretis, quibus mala non pauca de medio tollebantur. Simul Principi innocentiam ac moderationem ita probavit ſuam, ut Archidux, depoſita quam male præſumpſerat opinione, eum jam tum in clientelam acceperit, ejuſque mox uti opera in ſimili negotio conſtituerit. Brigantium, Rhætiæ oppidum celebre, Tyroli adjunctum, & circumpoſitos pagos invaſerat Anabaptiſtarum fœda ſuperſtitio, eo furore & inſania, ut incolæ paſſim, prædiis vel divenditis, vel relictis, liberis etiam conjugibuſque abdicatis, communem & promiſcuam inter infanda commercia, quod eorum eſt inſtitutum, ducerent vitam. Inſanientibus mederi multi ac ſæpe tentaverant, ſed conatu irrito. Archidux, multa expertus fruſtra, ad extremum experiendum ſtatuit Milleri quid poſſet induſtria. Rogatus ea de re Epiſcopus Conſtantienſis Cardinalis Altempſius, prolixe conſenſit Principi, & Millerum in ſacram expeditionem proficiſci ad Brigantinos juſſit. Quæ ille juſſa non minus prompte quam alacriter executus, ut venit ad locum, injecit ſe in medios furioſorum globos, & qua monendo, qua docendo, qua hortando, tantum dicendo valuit, ut brevi tempore eorum pleroſque ad ſaniorem mentem traductos, Eccleſiæ pariter ac Principi morigeros & obedientes reddiderit. Ab hoc ſucceſſu, qui late fama percrebuit, Millerus hominum opinione creſcere, & vulgo celebrari virtus ejus eximia, quavis difficultate periculoque major. Movit in primis ea res Epiſcopum Cardinalem. Itaque Millerum totius Diœceſeos Conſtantien-

83. Purgat ſe apud Archiducem, ab eoque in gratiam recipitur.

84. Ejus expeditio ad Brigantinos, & operæ fructus.

85. Totam Diœceſim Conſtantienſem Millerus cum ampliſſima poteſtate luſtrat.

ſtantienſis Viſitatorem cum ampliſſima poteſtate creat, illis ferme uſus verbis: *Ut evellas, & deſtruas, & ædifices, & plantes*. Magnum id enimvero erat negotium, cum multa revellenda eſſent malorum germina, quæ in tam amplo ſolo radices egerant. Quo fiebat ut multis ex omni ordine, & maxime ſacerdotali, moleſtus eſſe, non ſine ſummo ſuo periculo Viſitator cogeretur. Tamen vir magnanimus, Deo, ad quem ſua omnia dirigebat, fretus, cultuque duntaxat ejus ſibi ante oculos poſito, Diœceſim luſtrare aggreſſus, totam circumiit, atque ab omni inquinamento, quoad ejus fieri potuit, purgatam reliquit, non metu potentiorum, non gratia, non ullo rerum humanarum

86. reſpectu prohibitus, ne quas deprehendiſſet publici exempli labes edictis ſeveriſſimis coerceret. Præcipua illi cura dignitatis officiique ſacerdotalis fuit. Clericorum mores, indumentum, ſtudia ad præſcriptum Concilii Tridentini exegit. Si quos invenerat muliercularum amoribus irretitos, loco movit, aut qua alia pœna multavit. Neminem hac fæce conſpurcatum, aut quavis alia notatum infamia, ſacris operari permiſit. Matrimonia præter leges Eccleſiæ contracta redintegravit, cenſus Eccleſiarum male diſtractos, aut poſſeſſorum incuria peſſumdatos, vindicavit. Decretis demum ejus & curis decens ædibus ſacris nitor eſt additus, ſacrorum ritus cæremoniæque ad Romanum morem compoſitæ, omnia ad Dei Divorumque cultum ſpectantia, reformata.

Res in ea luſtratione ſalubriter conſtitutæ.

87. At enim luſtratio in hunc modum inſtituta magnum tota regione concivit ſtrepitum, multorum odia adverſus rigidum Quæſitorem incendit. Obmurmurabant cæco fremitu oſores diſciplinæ, minaſque jactabant. Quidam ejus infuſcare famam fictis criminibus, quidam etiam vitæ inſidias ſtruere non ſunt veriti. Fuit qui rem divinam facienti lixivium pro vino, non minus impio quam atroci auſu, miſcuit. Quibus tamen ille de animi firmi-

Pericula quæ adiit, ac ſuperavit. Ut demum translatus fuerit Ratisbonam.

firmitate se dimoveri nunquam est passus. Sic ergo confecta post longam circuitionem provincia, propositi victor Constantiam Millerus se retulit, ubi in præmium rei bene fœliciterque gestæ in Collegium Canonicorum primæ ædis ab Altempsio Cardinali est cooptatus. Idem postea evocatus Ratisbonam, Vicariusque Episcopi renunciatus, eum Episcopatum usque ad obitum administravit tanta sapientia, ut ejus maxime consiliis constantiaque apud Ratisbonenses steterit res Catholica. Nam & hæreticorum furori se tanquam murum semper objecit, & depravatos Clericorum mores corrigere nunquam destitit, & demum Societatis Collegium in ea urbe, adnitente Guillelmo Duce Bavariæ, ringentibus frustra primipilis hæreticorum, instituit. Sub idem fere tempus similem suæ Diœceseos lustrationem instituit Episcopus Vormatiensis, eumque in usum arcessitos Moguntia binos Collegii Alumnos sibi adjutores adjunxit, Georgium Voltzium, & Christianum Agricolam. Quæ tamen ab his per eam occasionem incepta actaque sunt, præclara licet, reique publicæ saluberrima, supervacaneum est memorare, quippe iis quæ hactenus recensuimus quam simillima. Peragrata Diœcesi, Vormatiæ Voltzius substitit, sacras habere conciones jussus. Agricola Moguntiam inter Canonicos adscriptus rediit. Sed jam stylum ad se vocat Moravia. Eam nos non sine horrore aliquo metuque ingredimur, quædam expositur scilicet oblivione magis digna quam litteris, quæ tamen silentio tegi non sinit historia, *cujus ea prima lex est*, teste Cicerone, *ne quid falsi dicere audeat*, *deinde ne quid veri non audeat*. Olomucium, ampla civitas, Moraviæ caput, contrariis pro Episcopatu studiis misere discissum erat anno MDLXXV. Mortuo siquidem Thoma Albino, urbis Episcopo ac Principe, eam ambire infulam cœperant præpotentes Canonici duo, Daniel Duccius, Collegii Germanici

88. Similia de Georgio Voltzio, & Christiano Agricola Vormatiæ.

89. Atrox Olomucii discordia ex electione duorum Episcoporum.

olim Alumnus, & Adamus Laudechius; Utque ambo magnam post se factionem ducebant, ambo distractis suas in partes suffragiis electi fuerant. Et uterque pro Antistite se gerebat, magna non solum Canonicorum, sed totius Moraviæ secessione ac discordia, qua gliscente in dies,
90. Alia contentio de Decanatu inter Joannem Telezium & Joannem Philipponum, Collegii Alumnos.
multi studio partium in armis erant, & nihil aberat propius quam ut lis ferro decerneretur. Dum ita inter se illi de Episcopatu depugnant, alia nihilo mitior orta contentio est de Decanatu inter Joannem Telezium, & Joannem Philipponum. Collegii hi quoque Alumni erant, sed longe dispari ingenio, moribus plane diversis. Telezius natura perbonus, quietus, candidus, ad hæc insigni pietate atque prudentia. Philipponus contra audax, vecors, inquies, tam insana ambitione, ut in prensandis honoribus non officii memor, non sui potens videretur. Contentionis hæ causæ fuerunt. Decano Olomucensis Ecclesiæ morte sublato, Telezium adhuc Romæ in Collegio degentem ea dignitate ornaverat Gregorius Pontifex, atque Olomucium proficisci quantocius jusserat, tum ad ineundam honoris possessionem, tum etiam ad pacandas, si qua posset, ejus Ecclesiæ res nimio plus perturbatas. Eo autem ab Urbe digresso, Philipponus alias surripuerat dolo malo ab Apostolica sede litteras, quibus eadem sibi dignitas deferebatur. Pontificias ergo pro se litteras uterque proferebant, sed alter legitimas, alter subreptitias. His tamen
91. Philipponus Decanatum vi occupat. Mox in ordinem redigitur.
suffultus litteris Philipponus sua deturbare sede æmulum, summo Canonicorum consensu Decanum jam salutatum, nitebatur. Id amice conatus primum obtentu juris, ubi videt hac via nihil profici, fremens frendensque, involat armatorum globo stipatus in domum Decanalem, obvios quosque sclopis intentis in fugam agit, & domo potitur. Inde migrans in templum, Decani solium, nemine furori ejus obsistente, occupat, seque ipsemet Decanum appellat,

pellat, nescias majorine temeritate, an insania. Ad ea Telezius nihil. Nec enim vi agendum existimabat, cum posset jure. Tantum de tota re ad Gregorium Pontificem, & ad Cardinalem Comensem accurate perscripsit. Nec abfuit malo remedium. Venere haud multo post Romana decreta, quæ alieni juris sacrilegum usurpatorem, ni incepto abstitisset statim, deque injuria satisfecisset, diris devotum omni honore spoliabant. Prius tamen quam hæc in Moraviam pervenirent, Philipponum in ordinem redegerant Canonici, ac Telezium in domum ac solium suæ dignitatis restituerant. Hoc exitu finita est controversia de Decanatu. At feralis dissidii, quo certabatur de Episcopatu, nullus exitus inveniebatur, perstabantque pari prope potentia & obstinatione Episcopi ambitiosi jus quisque suum tueri, & potestatem, quod magis est, pessimo publico exercere, nullas honestæ conventionis leges admittere. Et Telezius, ut multum apud Collegas auctoritate posset & gratia, omnes revocandæ concordiæ vias exquirens, ac sæpe de certo constituendo Præsule multumque differens, nihil admodum promovebat. Plures menses tenuit atrox discordia, donec interventu Cæsaris ad Pontificium Legatum delata est causa, qui, auditis quæ in utramque partem afferebantur, utrique Episcopo jus ad Infulam abjudicavit, novamque fieri electionem priori abrogata jussit. Coguntur ergo ad præstitutum diem Comitia, feruntur suffragia, &, quod mirum, primis calculis is, de quo hactenus locuti sumus, Telezius, ætate licet omnium postremus, eligitur, quem continuo omnes & Præsulem & Principem summo consensu consalutarunt. Actum id magno omnium gaudio, præter quam Telezii ipsius, ac Philipponi, quod ex utriusque vultu licuit agnoscere tristi mœstoque, sed diversa ex causa. Ac Telezius quidem uberes eo die fudit lacrymas, quippe Infulæ non tam splen-

92. Utriusque Episcopi pertinacia. Novam fieri electionem Nuncius Pontificius jubet.

93. Eligitur Telezius. Mœror ejus, & litteræ ad Lauretanum de sua electione.

dorem, quam pondus æstimans. Et nuntias electionis suæ litteras ad Lauretanum scribens, hæc demissionis modestiæque sensa totidem verbis explicuit. „ Robustiorem cor- „ pore, prudentiorem consilio, magis compositum animo, „ & pietate instructum, Moravia exspectabat Episcopum. „ Quod mihi ex pulveribus scholasticis nuper reverso, „ præter meam & omnium exspectationem de rebus gra- „ vissimis negotia imposuerint, mirari satis non queo. Si „ a Deo est, stabit. Si ex favore, non cupio ut mihi „ favor prodesse debeat, & obesse Patriæ ac Religioni. „ In omnibus me divinæ voluntati resigno. Faciat ad lau- „ dem sui nominis, ad utilitatem Ecclesiæ suæ sanctæ, & „ salutem animæ meæ quidquid placuerit. Laborem non „ subterfugio, honorem non quæro nisi in cælis. Quod „ in me ambitio non fuerit, testantur lacrymæ, quas statim „ publice in conspectu omnium fudi, testatur & cubicu- „ lum meum, in quo continuos gemitus feci, & vim la- „ crymarum non potui cohibere, videns & imbecillita- „ tem meam, & negotii gravitatem, populique ac pro- „ vinciæ corruptionem „. Philipponus, parere jam coactus ei, quem honoris rivalem non sustinuerat, inclusum sinu dolorem & indignationem truci turbidoque vultu præferebat, & quiddam coquebat animo, quod quale fuerit, mox dicemus. Telezius interim, vix inito Episcopatu, moliri multa cœpit, quibus religio & pietas tota Moravia augeretur, Alumnorum maxime utens opera, quorum delectam apud se manum habebat. At brevior quam oportuit vita ejus fuit. Biennii spatio nondum evoluto, correptus lethali morbo Brunæ, adstantibus Societatis Patribus, quos incredibili benevolentia complectebatur, & Canonicis tribus, Michaele Schramio, Melchiorre Pyrnesio, & Thoma Coco, quos in Collegio sodales habuerat, sacris omnibus procuratus excessit e vita: bene alioqui tam

94. Mœror Philipponi de electione Telezii.

95. Brevi moritur Telezius. Ejus acta præclara tam brevi tempore.

tam brevi tempore meritus de Diœcesi, in qua collapsam pietatem multis partibus instauravit, bene de Societate Jesu, cujus Brunense Tirocinium constabilivit, Collegiumque in sedem ubi nunc est transtulit, plura facturus majoraque, si diutius viveret. Morbi interea genus insolens, quo est absumptus, suspicionem injecit veneni, & statim in Philipponum omnium conversi sunt oculi, veterem nimirum hostem, & ad omne facinus ab ingenio promptum. Aucta vehementer est suspicio cum agi de successore cœptum. Namque emendicare ostiatim pro se calculos cœpit, atque alios precibus, alios pollicitationibus eblandiri adeo sollicite, plane ut videretur conscire sibi culpam, & idcirco affectare eum dignitatis & potentiæ locum, ne pœnam lueret. Voti ille quidem compos non est factus, prohibente rem ultore scelerum Deo; verumtamen suffragatores ita distraxit in partes, tantamque rerum ac consiliorum perturbationem commovit, ut eligi Episcopus nisi post sesquiannum non potuerit. At electus est tandem quem minime omnium vellet, Stanislaus Pauloccius, alter Germanici Collegii Alumnus, Brunensis Ecclesiæ tunc Præpositus, & Olomucensis, ut vocant, Scholasticus, vir eximiis animi dotibus, & Rodulpho Cæsari inprimis acceptus. Qui in eo fastigio collocatus, ut ab insigni facinore principatum auspicaretur, primum omnium Joannem Philipponum, odiorum incentorem, discordiæ satorem, reique publicæ haud dubium perturbatorem, & Joannis Telezii Episcopi, ut communis erat opinio, interfectorem, capi, deportarique in arcem Hocwaltensem jussit. Ibi quæstione habita de parricidio, cum multorum testimonio reus propinati Episcopo veneni fieret, & in manifesto crimine teneretur, lege actum in eum est capite amputato. Has intemperantis animi pœnas Philipponus dedit, atque hunc habuit vitæ exitum qui in schola

96. Oritur suspicio veneni. Suspicionem de se auget Philipponus.

97. Stanislaus Pauloccius novus Episcopus Philipponum contrudit in carcerem.

98. Ei veneficii convictum capite plecti jubet.

pietatis, inter optimos adolescentes, sub disciplina sanctissima educatus, nihil inde nisi effrænem audaciam, & insanam ambitionem extulerat. Utili documento eorum, qui deflectentes a suæ institutionis tramite, naturæ cupiditatibus remittunt frena, & suborientes animi motus comprimere non assuescunt a prima ætate. Sed meliora videamus.

99. Quanti faceret Episcopus Eichstadiensis Alumnos Collegii Germanici.

Martinus Episcopus Eichstadiensis Clericorum Seminarium Eichstadii instituerat, Episcoporum, qui huic Concilii Tridentini de Seminariis erigendis sanctioni paruerint, in Germania primus. Quamquam autem sua cuique proles esse carior solet quam aliena, tamen præ suis, ac suo velut in sinu educatis, caros habere Collegii Germanici Alumnos videbatur. Ut ex his quam plurimos haberet semper ad manus, non solum aliquos exposcebat identidem ab Lauretano, sed ad ipsum mittebat delectos e sua Diœcesi adolescentes eo consilio, ut exquisitiore eruditione, & nova quadam morum elegantia cultos reciperet, per eosque Romanam quodammodo institutionem in suum Seminarium importaret.

100. Suo Seminario Rectorem & Magistros imponit ex Alumnis. Alumnorum nomina.

Huic moderando, priusquam Jesuitæ Eichstadii figerent sedem, non alios quam Collegii Germanici Alumnos adhibuit, ita divisis inter eos officiis, ut ipsi uni disciplinam Clericorum, remque omnem litterariam administrarent. Præses omnium ac Rector Petrus Stevartius erat. Theologiam Joannes Vogelius, Philosophiam Joannes Heysius, eloquentiam Adamus Fabritius, Grammaticam Simon Schnegasius & Joannes Egloffius tradebant, suasque singuli partes cum eximia diligentiæ laude, & pari Juventutis profectu implebant. Vogelius tamen ad magisterii laborem Pastoris addebat curas. Nam cum Canonicatu frueretur S. Villibaldi, cui subjuncta Parœcia rusticana erat, in villam duo inde millia passuum excurrebat diebus festis, Divinique verbi & sacrorum pabulum gregi famelico dispensabat. Herbipoli post discessum

ſum Balthaſſaris Conigii, cujus ſupra eſt facta mentio, 101.
Alumni duo conſederant, Nicolaus Florſchutzius, & Joannes Fiſcherus, ambo ob excellentem virtutem Epiſcopo Principi ſupra quam dici poſſit cari probatique, de quibus hæc memoriæ ſunt prodita. Nicolaus Parœciam amplam cum ampliſſima poteſtate acceperat in oppido, cui nomen Eberen, ad confinia Saxoniæ. Prædium id eſt opulentum Epiſcopi, quod in plura minora prædia dividitur. Parochus ruſticis jus dicit, cenſum locupletem colligit, alioſque ſub ſe Parochos agreſtes habet. Huic affixus loco Nicolaus, non, ut alii ante eum plerique, redituum ubertate contentus in otio deſidiaque languebat, ſed commiſſi gregis ſaluti primas curas & maximas impendebat. Doctrinam Chriſti pueris explicabat, grandiores natu ſacrorum miniſterio procurabat. Idem ut facerent cæteri animarum Paſtores videbat. Fiſchero attributa fuerat Parœcia Laudenſis, quinque fere leucis ab Herbipoli. In ea Catholicis permixti hæretici multi erant. Sed ii utriſque mores, ea vitiorum contages, ut alii ab aliis vix differenr niſi nomine. In tanta morum fœditate poſitus ſcribebat ad Lauretanum, valde vereri ſe, quod de ſe ajebat Apoſtolus, ne cum aliis prædicaret, ipſe reprobus fieret, eoque ſodalium pro ſe preces enixe implorabat. Adeo de ſe demiſſe, quod hominum ſanctiorum eſt, ſentiebat. Idem tamen, divina aſpirante gratia, paucorum menſium labore Lutheranos aliquot pervicaciſſimos in Eccleſiæ fidem recepit, & quoſdam e Catholicis, qui efferatioris erant ingenii, manſuefactos Chriſtianis adſtrinxit legibus: quod item ex ejus litteris conſtat. Lubecam, inferioris Saxoniæ celebre emporium, venerat e Collegio Germanico Laurentius Surius adeundi cauſa Canonicatus, quem a Gregorio Pontifice utendum acceperat. Nam ſcintillæ adhuc aliquæ priſci cultus elucebant inter Canonicos Lubecenſes,

Acta Nicolai Florſchuzii in Diœceſi Herbipolenſi.

102. Et Joannis Fiſcheri in parœcia Laudenſi.

103. Laurentius Surius adverſa omnia reperit Lubecæ.

censes, quantumvis debiles & intermortuæ. Ce terum plerique aperte sequebantur Lutherum, & qui Catholici dicebantur, non solum pauci, sed mali, vitiisque omnibus cooperti erant. Episcopi suspecta religio. Civitas Lutheri tota. Vix urbem Surius intraverat, cum conclamari passim cœpit, adesse hominem Romanum, proditorem patriæ. Haud dubie eum res novas moliturum, & Romani Pontificis potestatem magnifice prædicaturum. Caverent sibi ab ejus præstigiis boni quique cives, nisi mallent excussum semel Deo propitio jugum Romanæ tyrannidis denuo suis cervicibus imponi. Quibus vocibus, & publica alienatione vulgi, præclusum sibi omnem aditum rei gerendæ videns, tacitus sibi vacabat ac Deo, soloque

104. Pontificis maximi auctoritatem intrepide defendit inter Canonicos.

vitæ castigatissimæ exemplo Catholicæ pietatis cultum deprædicabat. Tamen, cum se dedit occasio, Pontificis maximi auctoritatem libere aperteque tueri non est veritus. Agebatur inter Canonicos de abrogando eo Pontificis jure, quo statuere de Canonicatibus solet alternis cum Episcopo mensibus; quod eo spectabat, ut omnes deinceps Catholicos e suo collegio eliminarent. Id autem molientibus impavide se objecit Surius, scelusque detestatus, ita de re peroravit apud Collegas, ut verecundia iis fuerit ita aspernari Pontificem. Itaque negotium tunc quidem hæsit in ipso molimine. Quamquam postea, prævalentibus Lutheranorum opibus, nihil neque Pontificii juris, neque Catholici nominis Lubecæ relictum

105. David Fabritius Osnabrugi otiosus.

est. Simillima clades religioni imminebat Osnabrugi, quæ urbs est ampla Westphaliæ in dominio Episcopi. Civitas prope tota novis imbuta opinionibus, ab avita pietate, & priscarum cæremoniarum cultu desciverat, adeo profligatis Catholicorum rebus, ut eas restituendi vix ulla reliqua esset spes, ac tentare tantum periculo non vacaret. In eam itaque urbem, natale solum, reversus e Collegio

David

David Fabritius, meris apud Deum ac ſuperos precibus, atque integerrimæ viræ exemplis religionis cauſam agebat, cetera otioſus, tacitus, ac plerumque domi retruſus. Bonus ejus odor manavit ad Abbatem Hasburgenſem, priſcæ pietatis cupidiſſimum virum, cujus Monaſterium erat in interiore Saxonia; utque jamdiu hominem conquirebat religionis ſtudio flagrantem, Fabritium miſſis litteris invitavit, traxitque ad ſe. Duo poſtulabat ex eo Abbas, alterum ut concionaretur ad populum, alterum ut Cœnobii ſui tirones inſtitueret. Primum volens libenſque accepit Fabritius. Secundum, ætatem excuſans, & monaſticæ inſtitutionis imperitiam prætexens, modeſte detrectabat. Utrumque tamen urgente Abbate ſuſcepit, atque incredibili felicitate geſſit. Populum infinitis hæreticis circumſeptum, & ſæpe ex inſidiis ad defectionem ſollicitatum, concionibus erudivit, & in fide Eccleſiæ continuit. Novitios vero Monachos veram religioſæ virtutis rationem edocuit, formavitque ſic, ut juvenculi veteranis exemplo eſſent. Hasburgo propius abſunt nobilium Germanorum amœnæ villæ, quas more patrio incolere certis anni temporibus ſolent. Eorum ſubinde aliqui Hasburgum ventitabant, atque inter prandendum ſermones de religione miſcebant. Nam, ut quiſque eſt imperitior, eo fidentius in hunc ſermonem ingreditur. Sed Fabritii reſponſis haud ſemel revicti erroris, & pudore ſuffuſi, ſuos deinde Miniſtros ſubmittere, cum eoque committere inſtituerunt, futurum ſperantes, ut, ſin minus doctrina, at ſaltem voce ac clamore obrueretur. Fefellit illos tamen ſua ſpes. Miniſtri itidem ſuperati, & ad ſilentium adacti, latendi conſilium cepere. Enſishemii, quod Alſatiæ nobile eſt oppidum, publico gymnaſio præerat Joannes Hirlinæus, idque curabat primum, quod Romæ uſurpari viderat in Scholis Societatis, ut Ludimagiſtri litterarum illecebra uterentur

106. Evocatur Haſburgum. Ibi rem gerit egregie.

107. Hæreticos de Religione diſſentes confundit.

108. Joannis Hirlinæi res geſtæ Enſishemii.

rentur

rentur ad instillandum teneræ ætati metum Numinis, & amorem virtutis. Jesuitis, quibus se omnia debere profitebatur, ut nonnullam rependeret pro benefactis vicem, persuasit Magistratibus ut Collegium ejus ordinis in urbe sua conderent, idque ut confieri expeditius posset, Gymnasium ipse suum sponte dimisit, atque in usum Societatis tradidit. Translatus deinde est Bambergam vir egregius, atque ibi Proepiscopus appellatus.

109\. De Laurentio Ulnero, & Jacobo Schutzio in Diœcesi Argentinensi.

Argentinensis Episcopus binos cum accepisset ab Urbe Alumnos, eorum uni Laurentio Ulnero Parœciam Molshemiensis oppidi, quod totius Diœceseos præcipuum est, commiserat, ejusque assignabat industriæ novam pietatis speciem inter Molshemienses invectam. Alterum, Jacobum Schutzium, nondum per ætatem Sacerdotio insignitum, habebat apud se amantissime, dum crescente cum annis virtute, aptus ad ministerium Sacerdotale fieret.

110\. Brunsbergæ Fridericus Bartzius ad Ecclesiam trahit Sebastianum Hortmannum. Hujus virtus egregia.

Brunsbergæ in Prussia regali Fridericus Bartzius, saluti proximorum dies noctesque intentus, crebras animarum prædas stygio hosti eripiebat. Ex eo numero fuit, ut alios præteream, adolescens clari generis, egregiæ indolis, patria Regiomontanus, Sebastianus Hortmannus nomine, quem erroribus innutritum ad Christi ovile perduxit, transmisitque Romam altioribus disciplinis in Collegio Germanico informandum. Cujus tanta virtus fuit, ut ob eam causam exhæredatus a patre, non idcirco mentem, non fidem mutaverit. Merito proinde Canonicatu donatus Uratislaviensi, cujus usura damnum amissi patrimonii sarciret.

111\. Bernardi Eder Canonici Uratislaviensis monumenta quædam grati erga Collegium animi.

Et siquidem Uratislaviam nominavimus, non est hoc loco omittendus Bernardus Eder, Ecclesiæ ejusdem Canonicus, Romanæ institutionis adeo memor, ut ejus monumenta quædam exstare voluerit ad posteros transitura. Collegio nimirum Germanico, in quo pietatem bonasque artes hauserat, sacrificales Calices ex argento duos dono misit, suæ erga ipsum voluntatis & grati

animi

animi pignora. Et in Æde Cathedrali novum cum exſtruxiſſet operis per quam magnifici Odæum, ei præfigi effigiem Gregorii XIII. juſſit, ſubjecto lemmate *Deo & ejus Vicario*. Haud minus gratum Collegio ſe exhibuit Wolfgangus Theodoricus a Reitenau, qui ad Archiepiſcopatum Salisburgenſem, primam Germaniæ ſedem, aſſumptus, perinde quaſi eum honorem, non tam ſuæ virtuti, quam inſtitutioni adoleſcentiæ ſuæ deberet, ab ipſo Epiſcopatus aditu Candelabra ſex argentea, aureis quadringentis æſtimata, Romam tranſmiſit ad Collegium Germanicum. Alii quoque plures ſimilia grati animi argumenta Collegio dedere. Sed ea nos, quod neque ad tempus de quo ſcribimus, neque ad claſſem rerum, quas evolvendas ſuſcepimus, pertinent, miſſa facimus. In provincia Tyrolenſi parœciam Brixinenſem ab ejus urbis Epiſcopo Gothardus Seeman acceperat, Caldarienſem ab Epiſcopo Tridentino Cardinali Madrutio Petrus Ogilbenus, ſpectatæ virtutis uterque viri, quos mihi tamen nominare ad alia feſtinanti ſat eſt. Græcii operam diligentem ad aliquot annos poſuit Georgius Stobæus, Carolo Archiduci ob integritatem & fidem mire carus, cujus deinde deprecatione Epiſcopatum Lavantinum tenuit. Sed non tam leviter attingenda virtus Gualterii Belii, & Joannis Villarii, quorum ille prior caritatem qua majorem nemo habet oſtendit, animam pro fratribus ponens, alter glorioſam pro ſacrorum fide mortem Alumnorum primus oppetiit. Ut dicam de ſingulis, parem cum nobilitate doctrinam Belius conjungebat. Rodulpho Aquavivæ, cujus alibi eſt facta mentio, carus in primis ac familiaris in Collegio fuerat, ejuſque præceptis ac conſuetudine ad eum pervenerat virtutis gradum, quem vita inſequens, ac demum ſecuta mors docuit. Decanus cum eſſet Eccleſiæ Cathedralis Curiæ, quæ Rhætiæ primaria Civitas eſt, nullam neque Sa-

112. Volfangi Theodorici a Reitenau Archiepiſcopi Salisburgenſis liberalitas erga Collegium.

113. De Gothardo Seemano, Petro Ogilbeno, & Georgio Stobæo quædam indicantur.

114. Gualterii Belii præclara mors in charitatis officio Curiæ.

cerdotis, neque Pastoris optimi partem prætermittebat, adeo ab innocentia vitæ spectatus, ut vulgo Sanctus audiret. Cum vero urbem dira lues corripuisset, & miserandam mortalium ederet stragem, non modo suis se bonis ac facultatibus spoliavit ut multorum egestati inopiæque succurreret, sed sui pene oblitus, injecit ultro se medias in mortes, perrexitque ægrotis adesse, ac sacra ministrare, donec eodem contracto morbo, parem Aquavivæ suo palmam abstulit, morte obita martyrii quam simillima.

115\. Joannis Villarii Martyrium illustre prope Leodium.

Villarius triennium in Collegio fecerat pari commendatione ingenii ac pietatis, æqualibus juxta ac Moderatoribus probatissimus. Regressus in patriam, Nerviæ, Leodiensis agri pago, Christiani gregis susceperat curam, ibique considebat, populo dispertiens sacra, & quæcunque boni Pastoris sunt sedulo administrans. Forte sacrum Viaticum deferebat ægroto remotiorem in locum, cum obviam hæreticorum manum infestam habuit. Sacerdotem Catholicum, tremenda mysteria gestantem, ut conspexere latrones impii, irruunt continuo in eum ferociter, conviciis ac contumeliis onerant, demum indumentis spoliatum affligunt humi, ac multis impositis plagis crudeliter contrucidant. Nuncius gloriosæ necis Romam delatus, ut mirifice delectavit Pontificem, hos curarum & industriæ suæ fructus pro merito æstimantem, ita beatæ sortis cupidine, ac pia æmulatione incendit Alumnorum animos. Et vero extitere secutis temporibus Villarii imitatores haud ita pauci, quorum nos res gestas, & felicem exitum hoc loco non exsequimur, ne extra præfinitum spatium excurrat historia, eorum alioqui nomina ad operis calcem edituri.

116\. De celebri expeditione in Sueciam Antonii Possevini.

Liceat potius non nihil extremo hoc loco evagari extra Germaniam. Et siquidem his finibus non contentus Alumnorum labor, in Sueciam usque memorabili expeditione se protulit, eo usque sequi abeuntes ne pigeat,

pigeat, fasque mihi sit totam ejus expeditionis seriem a suis initiis evolvere. Joannes III. Sueciæ Rex, a puero Lutheranus, cum haberet in matrimonio Catharinam Sigismundi Poloniæ Regis filiam, feminam eximie Catholicam, partim illecebris hortatuque ejus, partim Sanctorum Patrum voluminibus volutandis, qua lectione plurimum delectabatur, discusso quo tenebatur errore, palam in sacra Catholica inclinare cœperat. Quin adductus in spem totam quoque Suecorum gentem, si quædam a Pontifice Maximo permitterentur, ad fidem Romanæ Ecclesiæ perductum iri, submisso clam Romam nuncio ad Gregorium (Ponto a Guardia nomen erat nuncio) certos popoſcerat homines, qui Catholici cultus prima jacerent in regione semina, & unum præcipue aliquem, quicum sua consilia communicaret.

117. Sueciæ Rex Catholicæ Religioni favens, operarios poscit a Pontifice.

Poscenti dati sunt jussu Pontificis Jesuitæ primum duo, Stanislaus Varsevicius Vilnensis Collegii Rector, jam ante notum Reginæ gratumque caput, & Laurentius Norvegus. Oriundus erat is ex Norvegia, unde illi cognomen inditum, ac tum degebat in Belgio. Quibus haud multo post tertius accessit ab urbe Roma Antonius Possevinus, eruditionis laude clarus in primis vir, ac rerum usu limatus. Stockolmiam, urbem regiam, profectus Varsevicius, quamquam in colloquium perhumaniter admissus a Rege, Vilnam tunc quidem rediit, nulla ob imperitiam linguæ confecta re. Ex ejus tamen ad Gregorium litteris intellectum est, natura timidum, ancipitemque animi Regem esse, & quantumvis Catholicæ Religioni proclivem, plus æquo sibi metuere ab ordinibus regni, qui Luthero præfracte studerent.

118. Missus ad eum Stanislaus Varsevicius S. J. re infecta discedit.

Norvegus sermone patrio ita demeruit Regem, ut ejus nutu & auctoritate plura, ac spe prope majora inceptaverit. Scholis enim Stockolmiensibus Rector impositus, Magistros Catholicos evocavit ex Belgio, eisque ludos litterarios commi-

119. Laurentius Norvegus satis belle rem gerit Stockolmiæ.

commisit. Nec eo contentus, Seminarium aperuit ad Juventutem ritu Catholico instituendam, Rege non solum consentiente, sed etiam Alumnorum sumptum liberaliter faciente. Possevinum Pontificis litteras deferentem, ut Legatum ejus accepit Rex, habuitque in magno honore. Quin apud eum hæresim ejuravit ex formula sibi tradita, criminum confessionem piacularem peregit, ex ejusque manu sacram hostiam sumpsit, aperte se Catholicum ferens, ac porro futurum sancte promittens. Verum ut ventum ad secretiora colloquia, quædam esse dixit, quæ tutandæ propagandæque causa Catholicæ Religionis sibi a Pontifice concedi vellet. Summa erat, ut liceret laicis de sacra mensa participare sub utraque specie: Ne Clerici adigerentur ad cælibatum: Ne Romani ritus ac cæremoniæ, hoc saltem primo tempore, in Suecia exercerentur. Hæc si Pontifex, laxata paulum disciplina, indulgeret, totam brevi tempore Sveciam fore Catholicam confidebat. Risit in sinu Possevinus conditiones, non rejiciendas modo, sed ne audiendas quidem. Nec dissimulavit quid his subesset incommodi. Ne tamen omnem præcideret negotii conficiendi spem, eo etiam ut tempus traheret, quod sæpe rebus gerendis utile, pollicitus se mandata ejus cum fide ad Pontificem relaturum, Romam se retulit, unaque secum adolescentes ex ea gente aliquot in Collegio Germanico instituendos duxit. Romæ nihil eorum quæ Rex postulabat concessum est, ne res, quod erat timendum, alibi in exemplum traheretur. Possevinus tamen redire in Sueciam est jussus, uti qui mitigare dolorem repulsæ, & bene animatum Regem confirmare unus videretur posse. Simul traditæ ei amantissimæ Gregorii litteræ, tum ad ipsum Regem, tum ad Reginam conjugem, & ad Sigismundum filium, qui postea Rex Poloniæ fuit, perferendæ. At Possevinus, dum ad iter Sve-

120. Possevinus auditis postulatis Regis revertitur Romam.

121. Romæ rejiciuntur postulata Regis. Possevinus redire in Sueciam jubetur.

Suecicum denuo ſe accingit, adjungi ſibi duos e Collegio Germanico delectos Sacerdotes voluit, Joannem Ardulphum, & Nicolaum Mylonium, cum his ſcilicet Apoſtolici miniſterii curas laboreſque partiturus in Suecia. Præſto fuere Juvenes, quippe laborem nullum periculumve refugientes cum divini Numinis cultus ob oculos ponebatur, nihilque amplius morati quam ut fauſta cum prece a Pontifice dimitterentur, ſe in viam longam ac difficilem cum Poſſevino dedere. Profecti Roma, Tridentum primo, deinde Pragam, urbem Bohemiæ principem, partim terreſtri itinere, partim ſecundo Oeno Danubioque devenere. Pragæ Collegium erat nobilium Convictorum ad centum numero, eodemque ſub tecto alebantur Gregorii Pontificis ſumptu lectiſſimi adoleſcentes ſexdecim ſub diſciplina Societatis. Ibi Ardulpho Mylonioque hoſpitium eſt præbitum. Quos Bohemi juvenes advectos Roma, ex eadem diſciplina, ac velut ex communis Parentis gremio eductos, loco fratrum ac numero habuerunt, atque omni fraternæ caritatis officio coluerunt. Viciſſim hi urbanitate, pietate, modeſtia, Romanæ inſtitutionis exempla ſplendida ediderunt. Ab urbe Praga ventum erat Brunſbergam in Polonia. Et Poſſevinus Seminarii Brunsbergenſis fundamenta ponebat, cum affuit a Rege Sueciæ navis bellica, quæ ipſum ſocioſque per mare Balticum deportaret in Sueciam. Conſcenſa igitur navi, ad portum Regiomontanum brevi trajectu appulerunt. Verum hinc laxatis iterum velis dum in altum tendunt, coorta ſubito tempeſtate jactari cœperunt adeo fœdum in modum, ut irreparabile videretur exitium. In ſumma humanæ ſpei inopia, cum & undarum inſanæ moles attollerentur, & venti circumquaque furerent, pietas ſaluti fuit. Quippe dejecta in mare cerea cæleſtis Agni effigies, Pontificis maximi prece conſecrata, momento procellam ſedavit. Secun-

122. Jo: Ardulphus & Nicolaus Milonius in Sveciam diſcedunt cum Poſſevino.

123. Pragæ hoſpitium ſumunt inter alios Gregorii Alumnos.

124. Mari deferuntur in Sueciam. Naufragii periculum divina ope diſpulſum.

Secundissimum deinceps cursum navigationis habuerunt, & octavo die maritimam Sueciæ oram, ubi portum duæ breves efficiunt insulæ, sex a Stockolmia leucis tenuerunt. Occupaverant hoc loco eorum adventum viri duo nobiles a Rege missi, a quibus & commeatu recreati, & post quietem modicam deducti Stockolmiam usque sunt. Qua cum abessent ab urbe propius, obviam processere alii duo Proceres, Possevinum verbis regiis salutarunt, mediumque accipientes, in urbem, atque adeo in paratam domum, ut fieri Legatis Regiis mos erat, honorifice introduxerunt. Substitit ibi dies decem, lautiis interea donatus, atque omni officio a primoribus civitatis cultus, donec vocatu Regis, qui Upsaliæ cum aula considebat, eo cum Ardulpho Mylonioque processit. Neque dum propius ad urbem accesserat, cum obviam extra portas habuit alam Equitum honorariorum ad centum. Præerat sublimis equo Dux, auro argentoque fulgens. Is Patrem comitesque, in equis pariter sublatos, in urbem cum toto agmine est prosecutus. Domus parata Possevino fuerat regio cultu insignis. Splendorem ac pompam deprecanti, religiosamque quam profitebatur paupertatem obtendenti, responsum est, honorem eum deberi Pontifici maximo, cujus personam sustineret. Post triduum in conspectum Regis cum sociis admittitur. Adstabat usitato more corona Procerum. Rex post prima salutationum officia, acceptis resignatisque Pontificis litteris, multa in laudem Gregorii elocutus, scitatur, quem in usum adduxerit quos videbat comites. Adductos, respondit Pater, ad veritatem Catholicam populo denunciandam. Quod eo dixit, ut præoccuparet concionandi facultatem, & concionaturis nemo molestus esset. Rex annuit vehementer. At post hæc, dimissis Proceribus, seducit in conclave secretius Patrem, deque postulatis suis quid censuerit Pontifex quærit. Non nescie-

125. Quo honore acceptus fuerit Possevinus in Suecia.

126. Primum ejus cum Rege colloquium.

nesciebat Possevinus quam delicata fastidia Regum sint. Ægre adduci ut rogent, rogata vero sibi negari nullo modo pati. Itaque circuitione usus, de Gregorii erga ipsum ac Regnum Sueciæ propensissima voluntate, de maturitate qua Romæ tractarentur negotia, de sanctitate æquitateque istitutorum Ecclesiæ Romanæ, aliisque id genus ita disseruit, ut distracto sermone, si non repulsam exponere, at præparare Regis animum ad eam mitius accipiendam videretur. Et satis intellexit Princeps minime hebes quo ea circumlocutio spectaret. Tamen eo die nihil amplius quæsitum, nihil explicatius responsum est. Recepit se Possevinus suam in domum, jacuitque ad aliquot dies afflictus morbo. Mylonius conciones habere statim cœpit ad populum, audiebaturque hominum magno concursu.. Ardulphus doctrinam Catholicam pueris explicabat, errores adversos confutabat, argumenti ejusdem libros in vulgus spargebat. Fremebant ira ac dolore superstitionis ministri, qui hæc palam fieri Rege consentiente cernerent. Rex interea spem inter ac metum fluctuabat. Nam tametsi redire postliminio in Sueciam avorum religionem percupiebat, at gentis indignationem, nisi postulata concederentur, timebat. Metum vehementer augebant Caroli fratris, Sudermanniæ Ducis, minaces litteræ, qui icto cum Rege Daniæ fœdere, bellum denunciabat, si qua religionis commutatio in Suecia fieret. Similem terrorem Legati Principum Protestantium incutiebant, & periculum præsentius imminebat a Moscho, veteri hoste, prævalido, ac vicino. Ergo ut primum confirmatum ex morbo Possevinum audiit, accersitum ad se, effari aperte, præcise, ac nulla verborum ambage jubet, permittat nec ne Pontifex usum Calicis laicis, Sacerdotibus connubia, sacrificium lingua vernacula in Suecia, quæ tria rogatus pridem esset suo nomine. Tergiversandi locus non erat. Hæc eadem negata

127. Alumni doctrinam Catholicam serunt. Regis anxietas & metus.

128. Novum Possevini colloquium cum Rege.

negata Cæſari, ac Romanorum Regi, reſpondit Poſſevinus. Res eſſe exempli pernicioſiſſimi, nemini ſalva Romanæ Eccleſiæ dignitate concedi poſſe. Quæ vix effatus, leniendo vulneri, ad eximiam Gregorii Pontificis erga omnes Principes liberalitatem, & ſingularem erga ipſum benevolentiam propenſionemque ſermonem detorſit.

129. *Offenſus repulſa Rex omnia bene cœpta reſcindit.* Experiretur porro, nova poſtulata proponeret. Nihil eum, quod ſui eſſet arbitrii, poſcenti negaturum. Sed nihil magnopere profuit. Perturbatum, quiritantemque acerbius exulcerarunt Aulici, cum dicerent, his patere injuriis Reges, qui Romanorum Pontificum jugo ſuppoſuerint collum. Sed nihil eſſe, quod eorum ingratiis non poſſint per ſe conſtituere accepta a Deo poteſtate Principes. Quibus ſermonibus incitatus, ægrum animum exſtimulante in primis inteſtini tumultus, & belli externi formidine, Ardulpho Mylonioque primum concionibus interdixit. Norvego deinde, quem Gymnaſio Stockolmienſi præfectum, & Juventutis Seminarium ritu catholico inſtituentem ſupra demonſtravimus, ſubtrahi honorarium, & conſtitutum pro alumnis cenſum juſſit. Ut gravius commoveretur effecit Varſevicii, cujus ſupra eſt facta mentio, factum, ut quibuſdam viſum eſt, eo tempore

130. *Nova irarum & offenſionis cauſa.* inopportunum. Redierat namque in Sueciam accitu Reginæ Varſevicius, & adſtantes ei Catholicos ſacrorum miniſterio procurabat. Cum autem videret regium Principem Sigiſmundum identidem ad conciones hæreticorum a patre duci, Reginam admonuit, per eamque ipſum Regem, nefas id eſſe. Facile enim corrumpi pervertique ſermonibus contaminatis poſſe teneri adoleſcentuli animum, nec poſſe ſine grandi piaculo in ejuſmodi periculum conjici hæredem regni, ſub matris diſciplina catholice educatum. Quod ut accepit Rex, renuente in primis Sigiſmundo eas deinceps adire conciones, ingentem irarum

rum

rum molem adversus importunum monitorem, totamque adeo Jesuitarum nationem concepit. Varservicium tamen loco movere animum non inducebat, partim respectu Conjugis, partim, credo, quod vera locutum, atque ita esse ut ille admonuerat sentiebat. De Possevino itidem nihil statuebat acerbius, ne contra fas Legatorum, quod nomen ubique gentium sanctum inviolatumque est, facere videretur. Sed nulli erat dubium quin ipsum pariter, & quantum sociorum ejus erat, quamprimum esset proscripturus, ac solum vertere coacturus. Prævertit homo sagax tamen edictum Principis. Namque ubi vidit nec voce coram, nec gravissimis litteris, quibus ei obligatam Deo ac summo Pontifici fidem objectabat, omniaque ad persuadendum aptiora subjiciebat, confici nihil posse, ut jam desperato religionis negotio, atque omni tractatione ejus rescissa, causatus pestilentiam, quæ Stockolmiam invaserat, recepit primum se in eam extra urbem insulam, ubi Rex locari Seminarium jusserat. Nec ita multo post una cum Norvego, & paucis sociorum, qui Juventutem docebant, Regno decessit. Soli itaque in Suecia restitere apud Reginam Varsevicius, Ardulphus, & Mylonius, sane pro rerum gerendarum magnitudine pauci, & insuper docere palam concionarique prohibiti, quos etiam haud multo post Rex excedere Regno jussit. Adeo apud eum humanæ res ac fluxæ præ cælestibus ac sempiternis valuere. Non tamen fructu omnino caruit susceptus labor, nec si copiosam uti sperabant Evangelici messores frugem, at non spicas saltem aliquas collegere. Vel illud quantum est, quod regius Princeps Sigismundus ita post id tempus est connivente Patre enutritus, ut adultus carere paterno regno maluerit, quam ab avita ac vera Religione desciscere? Quamquam, ob hanc maxime causam vocatus ad Poloniæ Regnum fuit, eoque contentus.

131. Possevinus re desperata discedit.

132. Infelix exitus Suecicæ expeditionis.

133. Quædam ex ea collectæ fruges.

tentus. Nec vero pauci ſub Norvego, in eo de quo dixi Seminario, Catholicam pietatem hauſerunt, nec paucos conciones eæ Mylonii, de quibus pariter dictum eſt, iique pii libri Suecice verſi, perque manus hominum diſſeminati, errorem dedocuerunt. Sane cum veniſſet illuc poſt annos prope quadraginta unus de Societate, quædam reperit enata ex his ſeminibus germina, quoſdam latentes adhuc Religionis igniculos, quos facile exſuſcitaſſet, niſi
134. Vaſtanenſis Monaſterii Virgines expiatæ & confirmatæ.
in ipſo molimine detectus, Regnoque pulſus fuiſſet, ut in Annalibus Societatis traditur. Sed quædam paulo diſtinctius videamus. In celebri Monaſterio Vaſtanenſi, quod S. Birgittæ inſtitutione, incolatu, & reliquiis nominatiſſimum eſt, degebant ſacratæ Deo Virgines duodeviginti, ab omni Lutheranæ fæcis inquinamento adhuc intactæ, ſed penitus deſtitutæ, quippe nullo legitimo Antiſtite cui parerent, nullo catholico Sacerdote, a quo acciperent ſacra. Varſevicius ad Vaſtanenſe uſque oppidum cum Regina profectus, eas & divini verbi, & ſacrorum miniſterio mirifice recreavit. Poſſevinus vero, pro ea quam acceperat a Pontifice maximo poteſtate, novam præterea renunciavit Antiſtitam, quarumdam profeſſionem ſolemni
135. Aliis utiliter impenſa opera.
ritu recepit, omnes incredibili voluptate perfuſas, & ad conſtantiam optime animatas reliquit. Præter eas inventæ ſunt extra Monaſterii ſepta ſacræ Virgines duæ, quas Lutheranus Miniſter ſuſtentabat, & ſimiliter expiatæ recreatæque ſunt. Vetula earum una erat annorum prope octoginta, ob ævitatem orbata oculis, ajebatque ſacrum velum ſibi traditum ab Olao Magno, ultimo Upſalenſium Epiſcopo catholico, & ab annis quadraginta nulla ſe frequentaſſe myſteria. Quo magis lætari eſt viſa, cum ſacra catholica rurſum nec opinanti oblata fuerunt. Senex item fuit octogenario major, qui annos ipſos quadraginta nunquam conſcientiæ ſordes eluerat confeſſione.
piacu-

piaculari, nunquam Eucharisticum panem acceperat, ne se Lutheri impuro cultu contaminaret. Vitam agitabat deserto in loco priscæ religionis retinens, exspectabatque velut alter Simeon, priusquam videret mortem, consolationem aliquam ægritudinis suæ. Audiit advectos Upsaliam ab Urbe Roma Catholicos Sacerdotes, eoque statim advolans, confessionem a prima usque ætate repetitam peregit, sacram dapem quasi viaticum ad iter æternæ vitæ sumpsit, ac reversus domum, paucis post diebus plenus optimæ spei diem clausit extremum. Eodem tempore Tartarorum Legatus cum advenisset in Sueciam negotiorum causa, veritatem divinæ Fidei, quam Sueci pertinaciter respuebant, commonstrantibus nostris, agnovit agnitam vero complecti profiterique palam non erubuit. Atque hæc ferme præcipua sunt in litteris. Cæterum, ut dicam quod est, Suecicæ hujus expeditionis major apparatus quam fructus fuit, nec initiis respondit exitus, malo ejus gentis fato, quæ cum proxime abesset a regno Dei, obfirmare in nova Lutheri superstitione, sua maxima, nec 136.

De luctuoso quodam eventu.

satis deploranda pernicie, maluit. Claudenda hic esset satis jam prolixa narratio, sed coronidis loco sit casus luctuosus atque insolens, qui degentes adhuc in Suecia Ardulphum ac Mylonium haud leviter contristavit. Res est exempli sequioris, & Collegio de quo scribimus parum decora, sed non idcirco prætermittenda, cum maxime de eo alia tam multa, tamque præclara, & ad memoriam illustria hactenus exsecuti simus. Ita deinde nos persuasum habemus, perinde boni ac mali exempli res, si 137.

Laurentius Montanus e Collegio redux paulatim ad hæreticos deficit.

sapienter utare, prodesse legenti posse. Illæ enim quid agendum, hæ quid vitandum fugiendumque sit, docent. Laurentius Montanus, adolescens olim eximiæ spei, natione Suecus, post annos nescio quot Romæ in Germanorum Collegio positos, rediit in patriam quo maxime tem-

 pore

pore receſserat inde Poſsevinus, & hæretici diſceſſum ejus occaſionem ſuam rati, ruinam ultimam Religionis urgebant. Utque ex arcto in apertum veniebat omni ſolutus fræno, abreptus voluptatum illecebris, ſtatim genio liberius indulgere, remiſſo pietatis antiquæ ſtudio, cœpit. Quod ad Religionem attinet, pro eo ut jungeret cum Ardulpho Mylonioque ſodalibus olim ſuis, uti decuit, vires, & labanti rei Catholicæ pro ſua virili parte ſuccurreret, diſſimulare aliquandiu, quaſi neutrarum eſſet partium, maluit, ad omnium ingenium ſtudiaque ſe fingens, ut ab omnibus iniret gratiam. Sed, ut media conſilia in deteriorem plerumque partem ad extremum declinant, familiaritatem affectans cum hæreticis, captus paulatim tendiculis eorum eſt, ac tandem obligatam Deo Eccleſiæque fidem, dictu nefas! turpiter prodidit, ad Lutheri ſigna tranſgreſſus. Adeo cupiditates pravæ, cum ſemel occupaverunt animum,

138. *De Collegio palam obloquitur.*

non modo prima pietatis ſemina, ſed omnem etiam honeſti ſenſum exſtinguunt. Ne vero objectaretur ſibi Romana inſtitutio, qua plus nimio probroſam fieri defectionem ſuam ſentiebat, de Collegio Germanico palam obloqui, ac diſſeminare multa cœpit, non minus crimino ſa quam

139. *Eum Sodales ad frugem revocare conantur fruſtra.*

falſa. Calumniis ſcilicet, quod ſæpe fit, velare ignominiam perfidiæ ſuæ ſtudebat. Quo hæc animo acciperent Ardulphus & Mylonius, tantæ perverſitatis teſtes, pronum eſt conjecturam facere. Non id tamen ſatis habuere ut miſeri ſodalis caſum luctu ſterili proſequerentur. Revocandum præterea in male deſertam viam ſuſcepere, nihil in id intentatum reliquere. Ut ſe reſpiceret ac miſerrimam conditionem ſuam, ut meliora conſilia caperet, ut ſaltem Collegii ita de ſe meriti famæ parceret, per fidem ſupe-

140. *Ardulphus Collegii vindicias ſcribit, editque in lucem.*

rum, per omnia priſcæ familiaritatis jura, qua voce coram, qua ſcriptis litteris rogavere. Fruſtra omnia. Ad extremum Ardulphus, fervidioris ingenii vir, ubi videt precibus

cibus exorari nihil poſſe, violatam Collegii famam non ferens, utque olim Hieronymus contra Rufinum clamans, *Canes latrant pro dominis ſuis, & tu non vis me latrare pro Chriſto? Mori poſſum, tacere non poſſum (lib. 3.)*, non ultra tenuit ſe quin petulantis calumniatoris audaciam ſcripto refringeret. Stricto itaque in eum calamo, Collegii Germanici vindicias ſcripſit, in lucem protulit, diſperſitque in vulgus. Quæ ſi hoc loco exſcriberentur, ut iis tota vivendi agendique ratio, quæ ea tempeſtate Alumnis uſitata erat, exponebatur, appareret ſane quam feliciter primævus ille Collegii mos ad noſtra uſque tempora conſtanti ſucceſſione pervenerit. Sed nimis ultra præfinitum modum opus excreſceret. Et nos longum jam ſpatium emenſos, hic parumper quieſcere ac reſpirare par eſt.

PRIVILEGIUM IMPERIALE

PRO COLLEGIO GERMANICO URBIS

Quod Alumni ibidem ad gradus promoti gaudere debeant iisdem Privilegiis, quibus ii, qui in aliqua Italiæ vel Germaniæ Universitate gradus susceperunt, & ad omnes Dignitates Ecclesiasticas in Germania possint promoveri &c.

FERDINANDUS SECUNDUS

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ELECTUS ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS

Ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex; Archidux Austriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c.; Marchio Moraviæ &c.; Dux Lucemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirttembergæ, & Teckæ; Princeps Sueviæ; Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferreti, Kyburgi, & Goritiæ; Landgravius Alsatiæ; Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ; Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum &c.

Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis.

POstquam Dei præpotentis concessu ac munere ad supremum Majestatis Imperialis fastigium evecti sumus, officii Nostri munus cum primis requirere existimamus, Majorum Nostrorum Romanorum Imperatorum ac Regum exemplo sollicite curare, ut, variis Gymnasiis, Academiis, & Universitatibus erectis, liberalium artium ac scientiarum studia, quæ ad Reipublicæ gubernationem & conservationem necessaria & opportuna sint, excolantur, & convenientibus honoribus ac præmiis excitentur, Nostroque auspicio felicia incrementa consequantur.

§. 1. Cum itaque Honorabilis, Religiosus, Devotus, Nobis dilectus Pater Bernardinus Castorius Societatis Jesu Sacerdos, & Collegii Germanici Romæ Rector, humiliter Nobis exponi curarit, Summos Pontifices Julium III. & Gregorium XIII. recolendæ memoriæ provida sollicitudine dictum Collegium in beneficium Nationis Germanicæ fundasse & instituisse, & amplis reditibus dotasse, ut centum ibidem ex ejusdem gremio adolescentes seu Alumni in studiis alantur & instruantur, qui tandem divinæ legis capaces, necnon ætate, doctrina, & probitate maturi, postquam de Beneficiis Ecclesiasticis competenter provisi fuerint, tamquam intrepidi Fidei athletæ, in Germaniam ac regiones suas ad alios exemplo vitæ suæ ad Chri-

Christum trahendos, &, qui id talentum acceperint, ad verbum Dei prædicandum & docendum, necnon hæresum latens venenum deprehendendum, & errores resecandum, atque in vinea Domini strenue fortiterque laborandum remitti & destinari possint. Atque hinc varia quoque dicto Collegio privilegia contulisse, inter quæ illud speciale sit, quod Regentes ac Superiores ejusdem Collegii Germanici, cum consensu & assistentia Cardinalium Protectorum, eos, qui Philosophiæ & Theologiæ ibidem studuerint, ac scientia & moribus idonei reperti fuerint, ad Baccalaureatus, Licentiæ, Doctoratus, & Magisterii gradum in dictis facultatibus promovere, iisque prærogativas & privilegia, quibus in ipsa Urbis Universitate promoti fruuntur, conferre possint & valeant. Et quamvis nonnunquam ejusdem Collegii Germanici Alumnos, vigore memoratorum privilegiorum, Doctoris Laurea ibidem decoratos, Patriæ servire cupientes, Professuras publicas ambire, aut Beneficia aliqua Ecclesiastica præsertim majora in Germania affectare contingat; ex eo tamen aditnm ipsis præcludi, quod isthic in Collegio, & non alibi, publica nempe Universitate, gradu & honoribus Scholasticis insigniti fuerint; unde vel ab ejusmodi prætensione desistere, vel, post exactum studiorum suorum cursum, ad alias Universitates suscipiendi gradus ergo proficisci cogantur, non sine temporis & pecuniarum dispendio. Ac proinde memoratus Collegii Rector demisse Nobis supplicarit, ut dicto Collegio Germanico Romæ Privilegium clementissime concedere dignaremur, quod, qui ejusdem Collegii Alumni ibidem in Philosophia ac Theologia promoti fuerint, omnium omnino Ecclesiasticorum Beneficiorum per universam Germaniam, non secus ac si in alia quavis Universitate eumdem gradum suscepissent, capaces reddantur. Nos itaque, benigne considerantes, quam sæpedictum Collegium Nationi Nostræ utile, & ad propagandam ac conservandam in Germania Religionem Orthodoxam opportunum fuerit, quam multos viros insignes ac doctos produxerit, qui Rempublicam in Religionem nutantem doctrina, verbo, & exemplo egregie juverint, & quam ingens fructus in posterum quoque ex eodem Collegio exspectari possit, precibus sæpedicti Rectoris Patris Bernardini Castorii clementer locum dandum esse censuimus.

§. 2. Idcirco ex certa scientia, animo bene deliberato, sano & maturo accedente consilio, & de Cæsareæ Nostræ potestatis plenitudine, sæpedicto Collegio Germanico Summorum Pontificum auctoritate Romæ fundato, ejusque Alumnis Nationis Germanicæ, qui Baccalaureatus, Magisterii, Licentiæ, aut Doctoratus gradum ibidem secundum Collegii statuta solemni ritu susceperint aut suscepturi sint, hanc gratiam concessimus, Quod iidem debeant & possint in omnibus locis & terris Sacri Romani Imperii, & ubique terrarum & locorum libere omnes actus Professorum legendi, docendi, interpretandi, & glossandi, facere & exercere, quos ceteri Professores, Baccalaurei, Magistri, Licentiati, ac Doctores, in aliis Studiis privilegiatis promoti & insigniti, exercent & exercere possunt.

§. 3. Volumus præterea & decernimus, quod memorati Collegii Germanici Alumni, ibidem dignitatem seu gradum aliquem assumentes, gaudeant & potiantur, utique, frui, gaudere, & potiri possint ac debeant omnibus & quibuscunque gratiis, honoribus, dignitatibus, præeminentiis, immunitatibus, privilegiis, franchisiis, concessionibus, favoribus, & indultis, ac aliis quibuslibet, quibus alii in Gymnasio Parisiensi, Bononiensi, Pata-

Patavino, Perusino, Pisano, Viennensi, Coloniensi, Ingolstadiensi, aut alio privilegiato Gymnasio Germaniæ, juxta ordinationes, usus, ritus, consuetudines, & mores cujusque pro tempore promoti, aut aliqua dignitate seu gradu insigniti, gaudent, utuntur, fruuntur, & potiuntur; & ad Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas Ecclesias, aliave Beneficia ac Dignitates Ecclesiasticas majores ac minores admitti, ad quæ illi admittuntur quomodolibet consuetudine vel de jure.

§.4. Non obstantibus, quantum ad hanc concessionem Nostram, aliquibus privilegiis, indultis, prærogativis, gratiis, statutis, ordinationibus, legibus, constitutionibus, reformationibus, exemptionibus, aut aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Quibus omnibus & singulis, ex certa Nostra scientia, & animo bene deliberato, per hoc Diploma Nostrum derogamus, & derogatum esse volumus. Supplentes omnes & quoscumque defectus tam juris quam facti, si qui in præmissis omnibus & singulis intervenissent, aut intervenisse dici aut allegari possent, quovis modo, consuetudine, vel de jure.

§.5. Hac tamen conditione disertim adjecta, ut iidem Alumni præmemorato modo in Collegio Germanico promoti, si ad dictas Metropolitanas, Cathedrales, aut Collegiatas Ecclesias, aliave Beneficia, ac Dignitates Ecclesiasticas in Germania aspirare cupiant, earumdem Ecclesiarum seu Capitulorum Statutis se in reliquis accomodent, nec in disputationem aut controversiam ea vocare præsumant.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ fuerit, liceat hanc Nostræ confirmationis, indulti, concessionis, & privilegii gratiam & facultatem infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire, seu ea quovis modo violare. Si quis autem id attentare præsumpserit, Nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, & pœnam quinquaginta Marcharum auri puri toties, quoties contra factum fuerit, se noverit irremissibiliter incursurum; quarum dimidiam Imperiali Fisco seu Ærario Nostro, reliquam vero partem sæpenominato Collegio Germanico decernimus applicandam. Harum testimonio litterarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum.

Datum in Civitate Nostra Viennæ, die decima quarta Mensis Septembris, Anno Domini Millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Regnorum Nostrorum, Romani decimo, Hungarici undecimo, Bohemici vero duodecimo.

FERDINANDUS.

V.
PH. a Stralendorff.

Loco ✻ Sigilli pendentis.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ
Majestatis proprium
Gerh. a Zwethen.

LIBER

LIBER QUARTUS

Status præſens Collegii.

I. Prima Seminariorum exempla Romæ poſita ab antiquo tempore.

URbs Roma, ut olim, Imperii potens cum eſſet, optimam Reipublicæ adminiſtrandæ formam ſibi atque Orbi terrarum univerſo præſcripſit, ſic poſtea Divinæ religionis ſedes, ac magiſtra veritatis effecta, non modo ſanctiſſimas Chriſtiani gregis gubernandi leges, ſed optima etiam exempla cunctis urbibus populiſque propoſuit. Jam inter exempla, quæ multa variaque ſunt, poſtremo non eſſe ponenda loco tot illa ad aptam Juventutis inſtitutionem erecta Seminaria, quorum ad ſimilitudinem tam multa hodie, tam utilia ubique locorum conſtituta cernimus, quivis facile intelligit. Neque vero exiſtimandum, novum inventum ea fuiſſe Sæculi XVI. Adumbratio quædam eorum, ac veluti præludium fuere celebres illæ, totque ante ſæculis inſtitutæ ſcholæ, Vaticana ac Lateranenſis, ex quibus Pontifices Sacerdoteſque, atque alii ſacrorum Miniſtri, tanquam ex Equo Trojano, nunquam non educebantur, tanta virorum illuſtrium fœcunditate, ut ex iis novem, teſte Anaſtaſio, ad ſummi Pontificatus faſtigium alius ex alio pervenerint. Perplacuit jam tum id inſtitutum exteris, ac brevi ab urbe Roma ad totum Occidentem propagatum eſt. Hoc tamen interfuit, quod cæteri Eccleſiarum Antiſtites in ſuas ſcholas non admittebant niſi delectos e ſua quiſque Diœceſi Juvenes, Pontifices vero maximi, quibus omnium Eccleſiarum divinitus tradita cura eſt, ex omni natione eos alliciebant accerſebantque, hauſturos ſcilicet puriſſimæ doctrinæ laticem ex ipſo fonte, atque inde in ſuas terras remittendos ad evulganda ſermone patrio Oracula Vaticana, & Canonum ſcita, quæ Romæ didiciſſent. Documento ſunt Gregorii VII. ad

2. Gregorii VII. litteræ ad Olaum Norvegiæ Regem de hac re.

Olaum Norvegiæ Regem litteræ, in hæc verba conceptæ. „ Rogamus vos, uti & Regi Danorum denunciavimus, „ ut de Junioribus vestris, & nobilibus terræ vestræ, ad „ Apostolicam sedem mittatis, quatenus sub alis Apo- „ stolorum Petri & Pauli sacris ac divinis legibus edocti, „ Apostolicæ Sedis ad vos mandata referre, non quasi „ ignoti, sed cogniti, & quæ Christianæ Religionis or- „ do postulaverit, apud vos, non quasi rudes & ignari, „ sed lingua atque scientia moribusque prudentes, digne „ Deum prædicare, & efficaciter, ipso adjuvante, gen- „ tem istam excolere valeant „. Huc ego spectasse cre-

3. Renovantur exempla sub Gregorio XIII.

diderim Gregorium XIII., cum tot diversarum Gentium Collegia exstare in Urbe voluit, quorum tamen primum, ac velut exemplar cæterorum, hoc de quo scribimus Germanorum & Hungarorum, ut supra ostendimus, fuit. Jam ergo hujus, ut ita dicam, infantiam, ac primam adolescentiam libris superioribus executi, quale nunc confirmata ætate sit, breviter demonstrabimus. Et futurum speramus, ut qui hæc leget, comparatione instituta inter priora, quæ sparsim alibi sunt indicata, & præsentia, quæ nunc in unum congesta daturi sumus, facile intelligat, conficiatque apud se, quamquam nonnullam rebus commutationem attulerit dies, ac conditio temporum, tamen præclarum hoc, atque ita constabilitum opus, tot an-

4. De novo Collegii ædificio.

nis interlapsis, nulla dum vetustatis damna, communi fere rerum aliarum fato, sentire. Ut ab iis, quæ magis obvia expositaque sunt, ordiar, multo nunc quam antea laxior commodiorque habitatio Alumnorum est. Quod ut intelligas quale sit, palatio veteri, de quo alibi diximus, junctæ olim fuerant ducto trans viam ponte lapideo domus aliquot e regione positæ, & in usum Collegii nova molitione structæ, sic ut tota habitatio duas ingentes insulas complecteretur. At nuper palatium vetus, quod male

male materiatum, ac vetustate satiscens videretur, omnino dirutum, novumque a fundamentis est excitatum, pari magnitudine, sed operis multo elegantioris, cum apto impluvio, scala nobili, spatiosis ambulacris, eo in primis rerum ordine, ut, jungente uti prius utramque insulam ponte, Alumni circiter centum divisis per utramque cubiculis habitare sat commode queant. Cubicula eorum sunt octo, justa amplitudine, quæ a diversis Cælitibus habent nomen. In iis suus unicuique est lectulus cum ductili conopeo, & sella, & mensula, & servandis rebus scrinium. Munditiem procurat famulus pretio conductus. Cubiculis singulis singuli assignati sunt Custodes (Præfectos nominant), Sacerdotes spectatæ probitatis & fidei. Hi si quid factum viderint contra leges, ad Majores referunt, & suos quisque, cum per Urbem incedunt, assectantur quocunque ierint, semperque in conspectu habent. Duo sunt propria Novitiorum cubicula, quibus nullum cum aliis commercium, nulla communicatio intercedit. Nec enim veteranis novitiisque colloqui inter se licet, nec, si non impetrata prius facultate fiat, impune est. Bibliotheca est Alumnorum usui ampla, locuples, nec spernendæ speciei, sed non promiscue omnibus patens. Ad præcidendas vetitarum collocutionum occasiones, certi sunt unicuique cubiculo assignati in orbem dies, quibus eam frequentare jus est. Ejus curam custodiamque unus Alumnorum gerit ex probatioribus. Bibliothecam Novitii habent propriam, minus amplam, nec adeo librorum copia divitem. Sacella duo sunt domestica, Divinæ Matri dicata, in quibus nonnulla pietatis officia, ut infra dicemus, Alumni exercent. Ad hæc Aula ingens, in quam convenire omnes solent, seu Rector illos alloqui in communi velit, seu solemnes disputationes sint habendæ, quidvis demum publice audiendum spectandumque sit. Nec alibi

5. De Alumnorum Cubiculis.

6. Cubiculorum Præfecti.

7. Bibliotheca.

8. Sacella domestica.

9. Aula communis.

alibi externos, officii aut negotii causa venientes, in colloquium admittunt veterani. Novitii, si ab externorum quopiam conveniantur, eum separato loco excipiunt. Aulæ parietes circumquaque vestiunt pictæ imagines Cardinalium, Electorum, aliorumque virorum principum, qui ex Collegii hujus disciplina ad summam fortunam pervenerunt, virtutis domestica incitamenta. Quamquam succrescente in dies virorum illustrium numero, eorum nunc pictæ tabulæ, non in aula solum, sed etiam per ambulacra visuntur. Dum hæc scribimus, Episcopi ad sex & triginta in Germania Hungariaque vivunt, in hoc olim Collegio educati. Triclinium est capax, in plures tributum oblongas mensas, qualia religiosarum familiarum plerumque sunt. Et lectione pia, aut sacra oratione, quæ diebus festis ab uno Alumnorum e suggestu habetur, condiuntur dapes, silentio audientibus qui accumbunt. Orationes hæ latinis conceptæ sunt verbis. Lectio nunc Italica, nunc Latina, ut visum Moderatoribus. Quædam præterea sunt separato loco conclavia, in quibus ægroti curantur. Munda ea sunt nitidaque præter communem modum, & necessariis utensilibus abunde instructa. Alitur perpetuo domi vir chirurgicæ artis peritus, ut in omnem casum, seu cuipiam incidenda sit vena, seu quid fomenti adhibendum, diu noctuque præsto sit. Huic Valetudinarii cura est tradita, eique, ut quisque in malam inciderit valetudinem, famulus jungitur adventitius, qui ægroto subserviat. Jam templum si spectes Divi Apollinaris, antiqui nullum vestigium vides. Quippe illud quoque dejectum haud ita pridem est, novumque ex integro conditum, multo augustius ac sumptuosius. Sacelli maximi, quod lecto marmore auroque totum fulget, sumptum munifice de suo fecit Benedictus XIV., qui & Collegio exstruendo fructum nescio quem pecuniæ publicæ ad certum tempus addixit.

[Margin: 10. Triclinium. — 11. Valetudinarium. — 12. De novo Ædificio Templi Sancti Apollinaris.]

Idem

Idem templi lapidem primum posuit insigni cæremonia, & perfectum absolutumque solemni ritu sacravit. Cui proinde Pontifici Collegium, tamquam de se optime merito, & lapidem cum inscriptione ad memoriam beneficiorum posuit, & quotannis lustrale sacrum solemniore ritu pendit. Præter commune Sacrarium, aliud templo adjacet Alumnorum proprium, cum apta vestium Sacerdotalium copia, quibus operaturi se induunt. Et huic Æditui præsident ex Alumnis duo, quorum æque probata sit integritas ac solertia. Quacunque demum ex parte, sive Collegii, sive Templi ædificium præsens intueare, multo melius Alumnis modo est, quam antea fuit. Collegio Cardinales sunt impositi sex, Protectorum nomine, quorum insignia gentilitia pro foribus, imagines grandioribus depictæ tabulis in aula visuntur. His, si modo consentiant, leges novas sciscendi, Collegii cum visum fuerit inspiciundi, de rebus ejus ac disciplina cognoscendi decernendique, jus summum ac potestas est. Ad eos itaque Alumni pariter ac Moderatores quæcunque incidant gravioris momenti, deferunt. Vicissim ipsi, qua pollent auctoritate, Collegii bona, res, fortunasque, ac privilegia tuentur, atque ab omni injuria defendunt. Quibus proinde Alumni, ut Patronis merentissimis, omne obsequium dum vivunt præstant, mortuis apparatu & pompa lugubri per triduum justa persolvunt. Cardinales omnino pares auctoritate sunt. Uni tamen, ac ferme antiquiori, aliorum consensu permissum est de minoribus negotiis, quæ intra annum intercidant, pro arbitratu statuere. Ea nunc provincia incumbit Alexandro Albano, Cardinalium Protectorum, non antiquissimo solum, sed etiam Collegii studiosissimo, rerumque ejus experientissimo, quem honoris causa nomino. Decreta Cardinalium multa sunt, diversis Collegii lustrationibus facta, quæ vim obtinent legum, & præter

13. Cardinales Collegii Protectores, eorumque auctoritas.

14. De Jeſuitis in Collegio degentibus, eorumque officiis.

præter Gregorii Conſtitutionem identidem in communi perleguntur. Jeſuitæ in Collegio degunt, præter Fratres paucos rei domeſticæ curatores, undecim, omnes Itali: quæ præter alias eſt cauſa, quamobrem Alumnis interdictum ſit alia uti lingua, quam Italica, aut Latina. Et ſinguli, pro ſua quiſque parte, quidpiam ad Alumnorum inſtitutionem conferunt. Eſt primo Collegii Rector, vir annis plerumque gravis, & prudens rerum, ad quem omnia referuntur. Proximus poteſtate quem Miniſtrum appellant. Huic legum cuſtodia, atque ordo rerum, omniſque exterior diſciplina curæ eſt. Miniſtro, propter curarum multitudinem ac varietatem, adjutor particepſque muneris jungitur unus Patrum, appellatione Socii. Sequuntur Patres duo, rerum, quæ potiſſimæ omnium habentur, præfecti, pietatis, atque doctrinæ. Alter Alumnorum conſcientiam, alter ſtudia litteraria dirigit. Tum alii duo, quorum unus doctrinam inter Catholicos & hæreticos controverſam (Polemicam nominant), alter Canones Eccleſiæ tradit. Namque has Alumni facultates, homini Eccleſiaſtico, præſertim in Germania, perneceſſarias, privatim condiſcunt domi, cæteras publice in Collegio Romano. Tres præterea quos vocant Repetitores, Juvenes Theologiæ ſtudiis operantes, quorum eſt Alumnos ſuæ claſſis quotidie in unum cogere, lectiones ſcholaſticas repetentes audire, binos committere, & ad leges Dialecticæ diſputantibus præſto eſſe. Eſt demum Collegii Oeconomus, cujus vel in exigendis, vel in adminiſtrandis proventibus tota procuratio verſatur. Mitto mercenarios ſervulos, qui multi ſunt, ſed in uſum tam frequentis familiæ neceſſarii.

15. Collegii proventus, eorumque adminiſtratio.

De Collegii vectigalibus hoc habeo dicere, eoſdem extare nunc fundos, quos Gregorius reliquit. Et quamquam illud pecuniæ ſubſidium, quod ex diſtributione Annuli Cardinalitii redibat, ut ſuo loco diximus, ſublatum

tum fuerit a Sixto V., adhuc tamen amplos proventus esse, & ampliores fortasse quam Gregorii tempore, idque Œconomorum sedulitate & industria, qui diligentius excolenda prædia, eaque pecore, olea, frumento, frugibusque aliis augenda curavere. Sed quamquam id ita sit, ægre hodie centenos Juvenes, præter Jesuitas, aliosque domi forisque administros, Collegium alit, tum communi temporum difficultate, quæ multo quam ante cariorem annonam reddidit, tum etiam quod in domus templique fabricam multum argenti impensum est, & Collegium versuram facere, nec parum æris alieni contrahere est coactum. Cæterum hi proventus per Collegii Œconomum administrantur, virum expertæ probitatis & fidei. Assidet ei Ratiocinator diligens, qui rationes omnes sumptuarias in libros dati & accepti cum fide refert. Libros hosce Cardinales, cum volunt, recognoscunt. Et unoquoque anno summa impensarum, quæ eo anno sunt factæ, scripto calculoque explicata ad eos mittitur. Sed jam quæ propria Alumnorum sunt videamus. Vestis eorum promissa ad talos, ut Clericos decet, rubri coloris, nigro cinctu ad latera. Huic togam laxam fluentemque imponunt cum procedunt domo, domi vero alteram crassiorem hiberno tempore ad arcendam brumam. Colorem rubrum cæteris præoptavit jam inde ab initio B. Pater Ignatius, forte idem spectans quod Innocentius IV. in galero Cardinalium, nempe ut meminissent fundendum sibi, si ita res posceret, sanguinem pro Religione. Pileo Clericali quadrato caput obtegunt domi, idque præter pileolum rotundum, quem capiti appressum plerique gestant tegendæ causa tonsuræ. Sed eorum varia indumenta videre erit in tabula graphio delineata, quam infra apponemus. Cæterum his comam alere, artificiose crispare, odorato pulvere aspergere, nefas. Incessus ipse solutior, aut

16. Indumentum Alumnorum.

17. Quam propria gravitas Ecclesiastica eorum sit.

aut minus compositus, notaretur, utpote ab Ecclesiastica gravitate abhorrens. Adeo propria eorum gravitas quædam, & compositio est, ut hac laude a cæteris, non minus quam colore vestium, dignosci debeant. Memoria nostra, nobisque adeo inspectantibus, Sanctissimus Pontifex Benedictus XIII., acer ille Ecclesiasticæ disciplinæ exactor & custos, conspicatus forte horum per urbem agmen, tonso capillo, totoque corporis habitu modestiam præferentium, vocari eos ad se jussit in Divi Ignatii, quo se conferebat. Hic circumfusos, accidentesque ad pedes excepit amantissime, laudavitque majorem in modum, illud subinde ingeminans: *Utinam ab his exemplum omnes Clerici, aliorumque Collegiorum Alumni petant*. Quo elogio cohonestatos alii deinde Clerici Alumnique, abjecto levi atque indecoro ornatu, imitari studuerunt.

18. Ut laudati olim fuerint a Benedicto XIII. ob modestiam.

19. Recipiuntur in Collegium etiam Monachi.

Non solis Clericis id Collegium patet, sed etiam Monachis cujuscunque sint ordinis, ea tamen lege, ut communi utantur indumento, communem disciplinam servent, nulla re ab aliis Alumnis differant.

20. Numerus Alumnorum incertus.

Alumnorum numerus ad centum ferme; major tamen minorve, pro frugum cujusque anni copia. Conveniunt nimirum in Collegium Cardinales Protectores certa post frumentationem die, cum de anni sterilitate vel ubertate judicari certo potest, & audito Œconomo, rationibusque subductis, plures paucioresve admittunt, ut ali in annum sequentem posse judicaverint. Hungarorum nunquam pauciores duodecim, quem numerum Gregorius præscripsit, interdum tamen plures pro arbitrio recipiunt. Nam utriusque Collegii ita permixtæ sunt opes, ut quamquam Germanorum, propter ampliores proventus, potior habenda sit ratio, his tamen ex aliqua justa causa substitui jure possint Hungari.

21. Quo pacto fiat delectus Alumnorum in Germania Hungariaque.

Delectus habendi ratio hæc est. Petitores, qui semper in Germania Hungariaque multi, etiam ex Monachis, sistunt se Colle-

Collegio Societatis proximiori, & apud Rectorem profitentur nomen. Eos Rector examini subjicit ad normam formulæ sibi ab Urbe missæ, rogatque distincte multa de patria, de conditione, de studiis, aliisque id genus. Cum omnibus satisfecerunt, tum Rector, si honesti saltem generis, & bonæ indolis sint, si sano corpore, si facie decora, si parati in castris Ecclesiæ militare, & stare Collegii legibus, si Logicam ut minimum perdidicerint, & nisi quid aliud obstet, hæc omnia scripto accurate comprehensa, una cum testimonio suo, plerumque etiam cum Episcopi, aut viri cujuspiam principis commendatione, Romam transmittit ad Collegii Rectorem. Ea communicantur Cardinalibus, qui cœtu habito, cujus acta perscribit Secretarius Congregationis de Propaganda Fide, deliberant inter se quos præ cunctis deligant. Illud vident primum, quod supra diximus, ne plures recipiantur quam commode ali possint. Proxima ea est cura, ut ex omnibus provinciis, quæ in Constitutione Gregorii recensentur, unus semper aliquis, quatenus possit, in Collegio sit. Et provinciis Hungariæ Croatiam Sclavoniamque ex Gregorii præscripto adnumerant. Si qui sunt in provinciis hæreticorum nati, cæteris præferuntur. Ubi concurrant cætera, magna habetur ratio nobilitatis, & agnationum. Quo fit, ut nunquam e primario nobilium ordine Alumni desint, & S. R. I. Comites Baronesque multi sint semper. Principum quoque commendationibus multum tribuitur. Ætatem requirunt leges annorum saltem undeviginti; sed etiamsi minor aliquanto sit, id facile Cardinales condonant, præsertim nobilioribus. De Monachis ita est comparatum, ut haud plures octo in Collegio sint. Hos, quo latius educationis beneficium pateat, ex diversis, tum Benedictinorum, tum Canonicorum Regularium, & maxime Eremitarum S. Pauli cœnobiis peti consuetum est.

22. Quid præcipue spectent Cardinales in admissionibus.

23. De Monachis in Collegium recipi solitis.

 Sunt

24. De Convictoribus. Sunt interdum qui recipi in Collegium postulant ut meri Convictores, stipendium pro victu vestituque pensitaturi, nec se ullo vinculo ad Ecclesiæ militiam obstricturi. His, cum admittuntur, communia omnia fiunt cum Alumnis, præter juramenta quædam peculiaria, de quibus infra dicetur. Sed de his, qui admodum infrequentes hac ætate sunt, nullum ultra verbum nos faciemus.

25. Vocantur Alumni Romam sub certis conditionibus. Confecto demum inter Cardinales novorum Alumnorum indice, jubetur Rector unumquemque per litteras admonere de Romano itinere suscipiendo, his tamen conditionibus: Ne Romam attingant nisi Octobri mense inclinato, cum solemnis studiorum instauratio imminet: Ut ingressi Romam, Collegium recta petant, aditu prohibendi, si vel unam noctem extra ipsum fecerint: Demum ut secum centum scutatos nummos ferant, apud Collegii Œconomum deponendos, servandosque sub binis clavibus, atque in digressu, quales prorsus depositi fuerint, iis redhibendos ad relegendum iter. Id ultimum ideo cautum est, ne rursum eveniat, quod ante non semel, Alumnos viatico destitutos, aut diutius quam par sit in Collegio detineri, aut Collegii sumptibus in patriam remitti oportere.

26. Primæ eorum occupationes & experimenta. Cum expectati advenere Juvenes, non continuo Alumnis committuntur. Primos dies tres transigunt in secessu pio, rerum divinarum commentationibus distenti, intereaque anteactæ vitæ noxas confessione abstergunt, & Collegii sanctiones evolvunt expenduntque. Die tertia procedunt ad Basilicam S. Petri, in eaque panem Eucharisticum sumunt. Post triduum vocantur ad examen a delectis Patribus, & super dotibus ad id institutum necessariis interrogantur.

26. De Novitiatu ipsorum. Et siquidem instituta Collegii libentes volentesque amplectantur, talari donantur veste, ac Novitiis adnumerantur. Duo nempe sunt propria, ut diximus, Novitiorum cubicula, in quibus annum integrum ad severioris disciplinæ nor-

normam Novitii exigunt. His duo præsunt Alumni veterani, quorum inter cæteros spectata virtus & prudentia sit. Alterum Magistrum Novitiorum, Ductorem alterum appellant. Unusquisque suorum agmen locis omnibus ducit, eos, qua pollet auctoritate, in officio continet, nec a se longius discedere unquam patitur. Evoluto sex mensium spatio, si sine querela tirones vixerint, seque ita probaverint Moderatoribus, ut ad vitam Sacerdotalem satis comparati videantur, divisim convocantur binis diebus (qui plerumque sunt dies festi Pentecostes) in Sacellum domesticum cum aliquot testibus ad jurandum. Ingens parata est sella, mensulaque tapete instrata, cum sigillo Christi Crucifixi', facibus, & Evangeliorum codice. Rector ad Aram splendidissime apparatam facit, & Divinam hostiam iis impertit. Post Sacrum procedunt ante eum rite sedentem singuli, provolutique in genua, manu sacro Codici imposita, sacramentum in hæc verba dicunt.

28. De juramentis, quæ præstare jubentur.

„ Ego N. N. Filius N. N. Diœcesis N. Nationis N. ple-
„ nam habens hujus Collegii notitiam, legibus & institu-
„ tionibus ipsius, quas juxta Superiorum interpretationem
„ complector, sponte me subjicio, easque pro posse ser-
„ vare coram Deo & Vobis promitto. Juro me velle
„ statum Ecclesiasticum amplecti, & ad omnes sacros,
„ etiam Presbyteratus, ordines, cum Superioribus visum
„ fuerit, promoveri: Cumque iidem mandaverint, me
„ statim in patriam reversurum: Juris Civilis ac Medici-
„ næ studia non professurum; aliamque vitæ rationem,
„ præsertim aulicam, non sectaturum: sed continuo, ubi
„ e Collegio dimissus fuero, in Patriam ad juvandas ani-
„ mas remigraturum, etiam ante constitutum studiis or-
„ dinarium terminum, si ita animarum saluti, aut pro
„ Collegii commodo Superioribus ejus visum fuerit expe-
„ dire. Collegii autem instituta juxta Superiorum inter-

 preta-

„ pretationem ſervaturum, nec a communi vivendi ratio-
„ ne diſceſſurum. Inſuper juro, quod ubi in Patriam e
„ Collegio diſcedens remigravero, inde, ſaltem triennio
„ durante a die mei reditus, nullo ſub quæſito colore
„ diſcedam, in Italiam, & multo minus Romam reditu-
„ rus, niſi de proprii Ordinarii in ſcriptis, & ex cauſa
„ quadam urgente ibidem expreſſa, licentia impetranda,
„ & ab Eminentiſſimis hujus Collegii pro tempore Pro-
„ tectoribus approbanda. Inſuper ſpondeo ac juro, quod
„ dum in Collegio permanebo, & poſtquam ex eo, ſi-
„ ve completis, ſive incompletis ſtudiis exiero, ante ela-
„ pſum triennii terminum, ſine Apoſtolicæ Sedis licentia,
„ vel poſt triennium ſine licentia EE. Cardinalium Ptote-
„ ctorum, nullam Religionem, Societatem, aut Congre-
„ gationem regularem ingrediar, nec in earum aliqua
„ profeſſionem emittam. Quod ſi cum licentia prædicta
„ in Religionem, Societatem, aut Congregationem ali-
„ quam ingreſſus fuero, ſpondeo, ac juro in patriam ſta-
„ tim ad juvandas animas me reverſurum. Sic me Deus
29. „ adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia „. Prius quam ad alia progrediamur, nolim hoc loco offendatur quiſpiam eo juramenti capite, quo ſibi aditum in Ordines religioſos Alumni præcludunt, quaſi vero injurioſum id ſtatui religioſo, & contrarium ſanctitati ejus perfectionique ſit. Primo enim id ita jurant, ut facile exſolvere ſe vinculo, quo tenentur, poſſint, facultatem haud difficulter concedendam rogantes. Rem deinde ſi intime inſpicias, ut alio quocunque infra Epiſcopalem ſtatu ſanctiora Religioſorum omnia inſtituta ſint, at non etiam aliis, reique publicæ utiliora ſunt omnia. Plus certe publicæ prodeſt rei, qui Apoſtolorum exemplo totum ſe proximorum ſaluti devovet, quam qui intra ſolitaria quædam clauſtra ſe abdit, uni vacaturus ſibi, ac ſuæ ſaluti. Collegii porro hu-

Quale illud ſit de non amplectendo ſtatu Religioſo.

jus

jus institutio, non tam ad privatam Alumnorum sanctitatem, quam ad publicam populorum utilitatem spectat, neque id solum voluit Gregorius ut sancti, sed etiam ut Apostolici Sacerdotes in hoc Collegio efformarentur. Æquum proinde fuit, ne per speciem boni majoris Collegii institutio frustraretur, Alumnis statum religiosum inire cupientibus quasdam interponi moras, non ex propria eorum libidine, sed Apostolicæ Sedis arbitrio removendas. Quare sapienter hoc addi jusjurandum Alexander VII. jussit, eaque in re, non tam Gregorii Constitutioni derogandum, quam ejus mentem sibi interpretandam censuit. Sed ut eo redeam unde discessi, juramento præstito, formulam scripto consignatam, chirographoque firmatam Novitii tradunt Rectori, ac post hæc alios præterea sex menses in tirocinio ponunt. Expleto anno, in veteranorum cubicula tribuuntur, hoc servato, quoad ejus fieri possit, ordine, ut qui ex eadem natione, civitate, provinciave sunt, bini saltem aut terni, eidem cubiculo adscribantur, fovendæ causa mutuæ inter populares benevolentiæ & charitatis. Nam, ut hoc non prætercam, nationes quibus hæc tota Juventus constat, sunt decem, Austriaca, Alsatica, Bavarica, Franconica, Rhenana, Silesitica, Svevica, Westphalica, Tyrolensis, & Hungarica, quæ Croaticam Sclavonicamque, ut dictum est, complectitur. Et tametsi pari omnes loco ac numero habentur, nec discrimen ullum inter Alumnos quantumvis natione ac genere diversos ponitur, ea tamen habetur æquissima ratio, ut qui ex eadem natione sunt, conjunctius vivere, ac familiarius agere inter se, præsertim initio, possint. Inde etiam nationibus singulis unus aliquis e Cælitibus est attributus, quem Alumni ut proprium suæ gentis Patronum habent, coluntque, & recurrente ejus festo die, oratione panegyrica laudant super mensam. Talem inter inter Cælites Austriaci

30. Tirocinio expleto ad Veteranos transeunt.

31. Nationes diversæ quibus Collegium constat.

32. Nationum proprii e Cælo Patroni.

ci habent Leopoldum Austriæ Marchionem, Alsatæ Othiliam Virginem, Bavari Henricum Imperatorem, Francones Chilianum Episcopum & socios Martyres, Rhenani Ursulam sociasque, Silesitæ Joannem Nepomucenum, Suevi Uldaricum Episcopum Augustanum, Tyrolenses Romedium Eremitam, Westphali Liborium Episcopum, demum Hungari Martinum Episcopum, & Stephanum Regem Apostolicum. Hi tamen duo postremi, præter laudationem in triclinio, solemni etiam liturgia coluntur in templo, cum redit eorum dies festa. Cæterum hæc non sic accipias velim, quasi dividi quodammodo dissociarique videantur nationes. Nam permisceri immo solent de industria ex diversis nationibus, præsertim in decursu, Alumni, & cubiculo jungi qui disjunctissimi ab ortu fuerint; fovendæ scilicet in communi domo concordiæ, tum etiam factionibus prævertendis, quæ ex popularium conjunctione suboriri facile possent. Nationum igitur ea tantum habetur ratio, quam diximus. Cum ætas patitur, nisi obstent mores, sacris Ordinibus omnes initiantur, idque solo judicio ac testimonio Rectoris, nullis Episcopi litteris, quas dimissorias vocant, impetratis, nullo quin etiam patrimonio beneficiove instructi. Nam Missionum sacrarum titulo Sacerdotes ex Pontificio privilegio fiunt. Confecto demum studiorum orbe, qui sex ut summum annos tenet, qui post rigidum examen satis a doctrina censeantur idonei, Doctores, tum Pontificio, tum Cæsareo jure creantur. Creari antea non poterant nisi qui essent jam Sacerdotes. Nunc concessu Benedicti XIV. satis est, si uno aliquo e sacris Ordinibus sint instructi. Itaque pauciores nunc honoris hujus expertes e Collegio discedunt, quamquam immerentibus nunquam concedatur. Quanti porro valeant in Germania gradus hi litterarii in Collegio suscepti, libro superiori declaratum est, ubi de privilegio quodam

33. Permiscentur Alumni ex diversis nationibus.

34. Fiunt Sacerdotes titulo Missionum.

35. Confecto studiorum orbe, creantur Doctores.

dam ampliſſimo Ferdinandi II. Imperatoris ſermo eſt habitus. Prius quam diſcedant, adeunt omnes Rectore duce Summum Pontificem, tum ut ejus exoſculentur pedes, tum ut Indulgentias, & ſacra quædam privilegia poſtulent. Quæ Pontifex concedere benigne ſolet, addito inſuper e cereis Agnis, & Divorum reliquiis munere in patriam perferendo, quod illis cariſſimum eſt contra aurum. Diſceſſuris Depoſitum, de quo diximus, nummum ſcutatorum centum intactum redditur, & litteræ teſtimonii traduntur. Hungaris tamen, qui e Diœceſi Strigonienſi ſint, quoddam præterea pecuniæ ſubſidium, ſi ita ipſi velint, & certæ conditiones concurrant, tribuendum eſt, ex veteri quodam legato Cardinalis Petri Pazmanii Archiepiſcopi Strigonienſis. In ipſo digreſſu ſolemnem cæremoniam more priſco uſurpant. Deſcendunt in templum, Rectore Patribuſque aliis deducentibus, & brevi peracta ad aram Virginis prece, talarem veſtem Rectori cum gratiarum actione reddunt. Viciſſim eos Rector complectitur ſuaviſſime, & ad dignam ſua inſtitutione vitam verbis ultimis adhortatur. Tum progreſſi ad portam, inter fauſtas Patrum læta omnia comprecantium voces, paratam conſcendunt rhedam, diſceduntque. Eorum fidei commiſſum eſt, ne, uti juraverunt, pernoctent Romæ ullo modo, neve ex itinere aliorſum divertant, ſed via breviore in patriam tendant. At nos Alumnos huc uſque proſecuti, nunc ceſſim abire tantiſper cogimur, quæ ad eorum educationem pertinent paulo diligentius executuri. Quæcunque ad vitæ uſum ſunt neceſſaria, Alumnis Collegium præbet, non exteriores tantum veſtes, ſed interulas quoque, induſia, tibialia, femoralia, caligas, pileos, demum omnia, non ea quidem in ſuo genere exquiſita, ſed neque ſordida, neque aſpera, quæ viros Eccleſiaſticos deceant. Tunicam pileumque commutant annis ſingulis,

36. Diſceſſuri e Collegio adeunt Summum Pontificem.

37. Qua cæremonia diſcedant e Collegio.

38. Redire jubentur in patriam via breviore.

39. Alumnis omnia neceſſaria gratis ſubminiſtrantur.

cætera

40. Qualis eorum victus sit.

cætera quotiescunque est opus. Mensa nec frugalis nimium, nec lauta; aliquanto tamen quam in aliis adolescentum contuberniis, & ciborum delectu, & copia apparatior, ratione habita laboris quem hi præ aliis durant, ætatis robustæ, ac moris patrii. Mensura somni ad horas minimum septem. Nihil in coercitionibus asperum, nihil puerile, ne pœnæ quidem erratorum, quæ, ut in magna

41. Ut plectantur eorum errata.

Juventutis multitudine, interdum, vel dolo malo, vel per incuriam, admitti necesse est. Peccata leviora puniuntur vulgata ad pudorem culpa super mensam, ac levi multa imposita. Pervicacior quispiam, quem non correxerit pudor, privato cubiculo addicitur, silentioque tristi plectitur ac solitudine, quippe a sodalibus segregatus, ac publico abstinere jussus. At si quispiam, quod absit, violati pudoris revinceretur, si sodali manus injiceret, si contra Præsides contumax, eorum detrectaret imperia, aut seditionem concitaret, statim dimittitur e Collegio, ac per portam rusticam indecore abscedit. Verum hæc admodum infrequentia sunt. Nullum certe hujus rei exemplum ab annis multis est editum. Nemini privatas subire domos, ac ne Proceres quidem officii causa invisere,

42. Commercia cum externis quatenus permissa.

multo minus convivari cum quoquam externorum licet, injussu Cardinalium. Quin confabulari cum externis domi nulli permissum est, nisi petita facultate. Ignoti homines, aut suspecti excluduntur. Cæteri, officii aut negotiorum causa advenientes, admittuntur, non aliter tamen collocutu-ri quam publice in aula, nec ultra præscriptum a Mini-

43. Quas frequentent Alumni scholas.

stro spatium sermo protrahitur. Scholas frequentant Alumni publicas Collegii Romani, eoque bini itant quotidie longo per Urbem agmine. Nulli tamen scholam, quæ infra Physicam sit, adire permittitur. Dies vacationum,

44. Dies vacationum transfigunt rure.

nisi si festi sacrique sint, in amœna extra Urbem villula, quam in Pariolo colle sitam diximus, vel per varios lusus

ſus innocuos ſe exercentes, vel per tonſas laurus ac topia- 45.
ria inambulantes, in otio honeſtiſſimo tranſigunt. Nullæ De quodam peculio Alumnis fere neceſſario.
fere, aut perexiguæ Alumnis pecuniæ relinquuntur, quas in proprios expendant uſus. Qui re aliqua indiget, Miniſtrum adit, apud quem pecuniolæ quiddam unuſquiſque habet depoſitum in expenſas quaſdam, ſi non neceſſarias, at honeſtas tamen, quæ intra annum incidunt. Prius quam e Collegio diſcedant, rationes exæquantur ſic, ut nihil cuiquam diſcedentes debeant. Nullæ in hoc Collegio eque- 46.
ſtres quas vocant artes. Non choreæ ſaltationeſve, non Collegio exulant artes equeſtres.
ficta inter duos certamina, non decurſiones equorum, non ſpectacula ſcenica, res in aliis ingenuæ Juventutis contuberniis tolerabiles, utiles etiam fortaſſe, ut multi putant, ac neceſſariæ, ſed Eccleſiaſtica diſciplina prorſus indignæ. Hic non niſi ſtudiis ſeverioribus, pietati, & ſacris Eccleſiæ officiis locus. Quæ tria quemadmodum ex- 47.
colantur, cognoſcere pretium eſt. Facultates, quibus ope- Quibus Alumni ſtudiis dent operam.
ram navant, ſunt quatuor, Philoſophia, Theologia, Controverſiæ de Fide, Canones ſacri. Doctrinam de moribus qui provectiores ætate ſunt privatim hauriunt ex libris, nullo ſcientiæ hujus proprio anteceſſore. De ea inter ſe conferunt, & Magiſtrum Controverſiarum aut Canonum, cum libet, conſulunt. Hiſque coram ſabbato quoque die de caſu aliquo morali diſceptant. Philoſophiam cum dicimus, eam intelligi volumus, quam hodie eruditi laudant, non longo ut olim circuitu, ſed preſſius naturam rerum ſcrutantem, ad Newtoni ferme placita. Nam Jeſuitis, eatenus humanas litteras tradentibus, quatenus vehiculo ſunt ad inſtillandam teneris mentibus pietatem, perinde uſui eſt Ariſtotelica, ac Newtoniana Philoſophia, & in hac re facile ſunt adducti ut temporis ingenio ſervirent. Eamdemque ob cauſam Theologiam quoque, multis defectis abſtruſioribus, minuſque utilibus, reformaverunt, ac

 ſucci

ſucci pleniorem, totamque fere dogmaticam effecerunt, ſalva tamen dialectica argumentatione, ingeniorum cote, & veritatis optima indagatrice. Philoſophos ergo Theologoſque Alumni audiunt in Collegio Romano, & quæ dictantur ſcribunt. Aliarum quas dixi facultatum anteceſſores, ut ſupra docuimus, domi habent, eoſque nihil ſcribentes audiunt proxima ante prandium hora, ſic tamen

48. Scholaſticæ exercitationes quam aſsiduæ.

diviſis rebus, ut annis diverſis alii Canones, alii Controverſias accipiant. Jam ſtudiorum multi ſtimuli, nec pauca præſidia ſunt. Convenire jubentur certa fere quotidie hora, diviſi in ſuas claſſes, ad ea quæ ſcripſerint audierintve repetenda. Diſputatur ſuper iis more ſcholaſtico, confligiturque. Urgentur, refelluntur objecta, veritas eluceſcit. Adeſt unus Patrum docti certaminis moderator atque arbiter, contentioneſque componit. Quotidianis hiſce exercitationibus accedunt Philoſophicæ Theologicæque diſputationes, quæ nulla non hebdomada habentur domi coram Patribus, circumſiſtente Alumnorum corona. Et præter has domeſticas, alias quaſdam intra annum honoratiores habent in ſcholis Collegii Romani. His vero quantum incendantur æmulatione laudis animi, promptum eſt

49. Duo intra annum examina.

intelligere. Quos jam qualeſque ſinguli progreſſus fecerint, bis intra annum cognoſcitur, ſemel Majo, iterum Septembri menſe, inſtituto in id acri ac publico examine, cui ipſe Rector præſidet. Negligentioribus parata reprehenſio eſt, & aliqui interdum novo ſubjiciuntur examini, quod indecorum valde ac turpe eſt, ac pœnæ inſtar habet. Contra qui excellunt, honeſtamentum haud

50. Alii ad ſtudendum ſtimuli.

leve Patrum ſuffragio referunt, non ſolum privatæ laudis, ſed etiam publici honoris. Nam ex iis pauci deſignantur ad habendas ſub finem anni publicas diſputationes, quod ſibi quiſque pulchrum præclarumque ducit. Præterea ab examine unus pro unaquaque claſſe eligitur rei ſcholaſticæ admi-

adminiſter (Bidellum nominant), quod munus privilegia quædam habet adjuncta, & perhonorificum, utpote index præſtantioris ingenii, habetur. Tot ſtudiorum incitamentis adde ad extremum opima Sacerdotia Germaniæ, quæ, ubi paria ſint cætera, ſtudioſioribus plerumque deferri ex Rectoris teſtimonio & commendatione ſolent. Magna enim habetur a Pontificibus Collegii hujus ratio in Canonicatibus, aliiſque Germaniæ Dignitatibus largiendis, & ſæpe 51.
Alumnos hoſce cæteris petitoribus anteponi cernimus. Quod quale ſit, nemo eſt qui non videat. At enim ſtudia nihil ſic alit fovetque ac Pietas, quæ caput rerum in hoc Collegio eſt. *Culpa non vacare negligentiam in ſtudiis.* Intelligunt quippe ea ætate, atque ea mentis acie Juvenes, non poſſe ſe ſine grandi piaculo graviſſimam hanc officii partem negligere, & reos apud Deum fore fraudatæ mentis Gregorii, & male perceptorum Collegii alimentorum, ſi indiligentes ac deſides in ſcientiis conſectandis ſint. Et ſæpe hæc eadem remiſſioribus inculcantur. 52.
Cæterum ad pietatem quod attinet, mane ſummo, cum ad campanulæ pulſum evigilarunt, horæ dimidium divinis meditandis tradunt. *Pietatis officia quotidiana.* Sacræ quotidie rei Sacerdotes operantur, alii una omnes interſunt. In ſingulis cubiculis quotidie Roſarii pars tertia, non tam lege quam more, in communi decurritur, omneſque ſpatium aliquod temporis privatim piæ lectioni tribuunt, quem in uſum libros utiles a Confeſſario accipiunt. Qui ad horas canonicas non adſtringuntur, ut quotidie Officium quod vocant Beatæ Virginis recitent, lege ſancitum eſt. Prius quam lecto ſe committant, ſilentio facto, procumbunt omnes in genua, unoque ex iis verba præeunte, opem Superum uſitatis invocationibus poſcunt. Tum conſcientiam excutiunt taciti, aliiſque piis precibus diem claudunt. Atque hæc quotidiana, quæ ideo ſunt ſic moderate præſcripta, ut fieri poſſint accuratius, tum etiam quod multis incumbit onus hora-

rum canonicarum, & illud fuit cavendum ne studiis necessarium tempus subtraheretur. Placuit etiam uniuscujusque arbitrio quiddam adjungendum relinquere. Juventuti adultæ, atque hoc vitæ genus profitenti, non sic omnia præscribenda fuerunt, ut nihil quisque posset ad præscriptum addere ex proprio instinctu, cum maxime hinc ferventiores dignoscantur.

53. Sacramentorum frequentia.

Ob hanc maxime causam usum frequentiorem Sacramentorum non exigunt leges, quam ut semel in mensem, solemnibusque festis, ac Dominicis Adventus & Quadragesimæ, omnes communiter de sacra mensa participent. Id tamen plerique faciunt octavo quoque die, lege sibi ultro imposita. Et alia id genus multa, non necessitate, sed voluntate faciunt, quæ longum esset exponere.

54. Præcipua pietas ergaBeatamVirginem.

Divinæ Matri præcipuum cultum adhibent, magnum pudoris & innocentiæ munimen. In duas sodalitates Alumni conscripti sunt universi, & utraque est in clientela magnæ Virginis posita. Altera Conceptum ejus immaculatum, altera Assumptionem in cælum pro titulo habet, hisque recurrentibus diebus, apparatu ac religione Mariani Sodales certant. Sabbato conveniunt in Sacellum domesticum veterani, ac post consuetas Virginis invocationes, quas vulgo Litanias Lauretanas dicimus, piam adhortationem ex Patre sodalitii præfecto audiunt. Et siquidem novitii nondum satis callere linguam italicam existimantur, eodem tempore aliam illi adhortationem separato loco audiunt lingua latina. Die eodem in vesperam inclinante, descendunt universi in templum, atque ante aram Virginis, quam in templi atrio sitam diximus, venerabundi consistunt. Namque ibi publicæ venerationi proponitur sabbato quoque die sacrosancta Hostia, eædemque Virginis invocationes per Cantores exteros decantantur: Nec inde abscedunt, nisi facto per Divinam Hostiam ab Sacerdote ductam signo solemni Crucis, ad populum. Denuo

in

in Sacellum coeunt altero intra hebdomadam die, & Officium, ut loquimur, Mortuorum alternis decurrunt pro Sodalibus vita functis. Quin, ut cujusque innotuerit mors, ad ejus expiationem duo Sacra mortualia fiunt, tota assistente ac comprecante Sodalitate. Divini verbi pabulo nutriuntur sæpe, ut dictum est, a Patribus Sodalitatum Præfectis. Certis etiam intra annum diebus coactos ante se Rector gravi oratione alloquitur, subjicitque ad virtutem stimulos. Idem, at multo sæpius, privatis alloquiis Confessarius facit. Octobri mense ineunte, cum Autumnales aguntur feriæ, tres continenter dies divinarum rerum commentationibus ex norma B. P. Ignatii tribuunt, & contractas eo anno labes confessione eluunt. Quo tempore suis conclavibus universi se continent, ab omni hominum commercio segregati, nec inde nisi demisso vultu, ac taciti, ad audiendum in sacello Patrem divina enarrantem, ad aliaquê communia domus officia prodeunt. Ut paucis omnia complectar, pietatis ea cura est, qualem res supremæ gravitatis postulat. Non enim omnes contra hæresim voce aut scripto sunt pugnaturi, non omnes concionaturi, aliudve doctrinæ periculum facturi. At Sacerdotalem sanctitatem profiteri, & exemplo vitæ populo prælucere omnes debent. Siquidem vero proprii Sacerdotum sunt ii ritus ac cærimoniæ, quibus Religionis officia continentur, in his etiam condiscendis exercendisque jam nunc multum operæ ac studii Alumni ponunt. Cantum quem vocant Gregorianum docentur novitii, traduntque huic studio dimidiam quotidie horam a prandio. Quamquam & veterani in suis cubiculis cantu se parumper exercent eodem tempore. Examen de cantu sumitur quovis anno semel, idque palam coram Moderatoribus. Antea qui scientior videretur, Odæi Præfectus renunciabatur, totamque rem musicam gubernabat, quod munus propter adjunctam auctorita-

55. Piacula pro sodalibus vita functis.

56. Piæ adhortationes crebræ.

57. Exercitia spiritualia quotannis.

58. Cantum Gregorianum ediscunt, & exercent.

ctoritatem avide prenſabatur ab omnibus. Nunc, ea abolita juſtis de cauſis præfectura, ut quiſque excellere videatur, inter Præfectos cantus, qui quaterni ſunt, recenſetur. Hos Chori Bidellos nominant. Ad eoſque ſpectat, cum aliquid extra ordinem canendum Alumnis eſt, prius
59. experimentum ſumere, & ſingulis tonos aptos præcentionibus demonſtrare. Sacrorum cæremonias ad rituales libros, & Sacelli Pontificii exemplum exigunt. Alumnus præ cunctis eſt unus peritior, cui alter tamquam adjutor officii jungitur, Cæremoniarum Magiſter. Is pridie eorum dierum, quibus auguſtiore ritu faciendum eſt ſacrum, quid cuique agendum ſequenti die ſit ſcribit, & pro menſa legendum præbet. Poſt menſam conveniunt omnes, & ſuas quiſque partes experiuntur. Magiſter in ipſa rei ſacræ functione ſingulorum officia voce nutuque regit. Cæteri linteis induti amiculis Canonicorum more ſedent, quadruplici hinc inde ordine, loco eminentiore, quem a populo
60. diſcludunt breves cancelli e marmore. Imminet interdum aliquis Moderatorum e ſpecula, haud dubie multaturus ſi quem eo tempore corridentem, aut cum quoquam fabulantem cerneret: Quod tamen nunquam, aut perraro accidit, omnibus in officium intentis, & ſancta ſancte, ut dignum eſt, peragentibus. Sic Dominica, & quavis anni feſta die, ſolemne ſacrum, & veſpertinæ preces decantantur in Divi Apollinaris, ea dignitate, gravitate, modeſtia, ut accedente ſacrarum veſtium, rerumque cæterarum eximia pulchritudine, ſplendore, atque munditie, nihil fieri exactius, aut decentius poſſit. Nocte natali Chriſti Domini tanto cæremoniarum ſymphoniarumque apparatu matutinæ decantantur preces, ac ſolemne ſacrum peragitur, ut nullibi major ea nocte populi concurſus ſit quam in æde Apollinaris. Ad hæc, prima poſt feſtum Corporis Chriſti die Dominica Divinam Hoſtiam per viciniora circum-

Itemque ſacros Eccleſiæ ritus.

Qua dignitate res ſacræ fiant in D. Apollinaris.

circumferunt, ea supplicatione ac pompa, cujus visendæ causa omnia circum tecta complentur ac viæ. Ut rem verbo absolvam, quæcunque intra annum in Ecclesiis Canonicorum exerceri sunt solita religionis officia, in S.Apollinaris exercentur diebus festis, eaque haud minore quam usquam alibi dignitate. Solam alioqui quam vocant Tertiam plerumque Alumni concinunt. Sacratioribus tantum anni diebus matutinas etiam, ac reliquas horarias preces. Cætera Cantores peragunt musici, qui ex urbe tota optimi adsciscuntur. Pauci deinde sunt præcipuæ celebritatis dies, quibus adhibentur etiam Symphoniaci, cum omnis generis instrumento sonoro. In hunc namque usum Joannes Hugo ab Orsbeck, Archiepiscopus & Elector Trevirensis, Collegii olim alumnus, atque Odæi præfectus, legatum mille quingentorum aureorum reliquit, quod beneficium quotannis Alumni recolunt, solemne pro eo sacrum facientes. Neque hic omiserim, certis intra annum diebus, nunc ad S. Sabæ, nunc ad S. Stephani in monte Cœlio, semel etiam ad S. Stephani Hungarorum Regis prope Basilicam Vaticanam, Alumnos procedere, Collegio nimirum, ut alibi diximus, addicta templa, per eosque dies Divinorum officiorum majestatem iis templis, alioqui solitariis, reddere. Officii Sacerdotalis appendix quædam est sacra eloquentia, quam profecti ex hoc Collegio multi exercere coguntur, parœciis administrandis adhibiti. Et hanc quoque Alumni, si non præceptis, quæ nulla traduntur, at usu ipso & exercitatione quadantenus discunt. Nulla est intra annum dies Dominica, qua non orationem latinam aliquis Alumnorum habeat super mensam; Quod cum commune omnibus sit, omnibus necessitatem imponit, & scribendi apte, & apte pronuntiandi. Laudationes præterea multæ fiunt, ut supra diximus, de Divis Nationum tutelaribus, tum etiam de Christo Domino, de

61. Odæum quale sit. Ubi de quodam Legato.

62. Ut ad concionandum Alumni exerceantur.

de Virgine beatiſſima, de Apoſtolis, cum ita dies feſti poſcunt, quarum honoratiſſima eſt quæ coram ipſo Societatis Præpoſito Generali, Patribuſque aliis ad convivium vocatis, habetur die feſto S. Apollinaris. Orationes haſce, priuſquam ſuperiorem in locum producantur, recognoſcit Præfectus ſtudiorum, atque ubi opus ſit, emendat ac corrigit. Ita deinde eſt inſtitutum jam inde a temporibus Gregorii XIII., ut Alumnorum unus Sanctorum Omnium feſta luce orationem latinam habeat in Pontificio Sacello, coram Pontifice & Cardinalibus, brevem illam, ſed concinnam, & tanto conſeſſu dignam; Quæ res non mediocri honori eſt, nec cuivis temere a Rectore committitur. Huic honore proxima eſt alia latina oratio, quæ die feſto SS. Euſtratii, Auxentii, Eugenii, Mardarii, & Oreſtis Martyrum, inter ejus diei ſolemnia ad infinitam populi multitudinem in templo recitatur. Nam quod eorum Martyrum ſacra corpora in D. Apollinaris, ut alibi diximus, ſunt recondita, eorumdem dies anniverſaria cum inſigni pompa & apparatu celebrari eſt ſolita in eodem templo. Oratio hæc ſtudioſioribus e quarto Theologiæ anno Alumnis demandari in præmium navatæ ſtudiis operæ ſolet. Illa vero altera coram Pontifice tantum nobilioribus. Atque hi rem tanti faciunt, ut Orationem eamdem in charta pergamena, auro minioque diſtincta, impoſito gentilitio ſtemmate, exſcribendam curent, ac velut illuſtre ſui nominis monumentum Collegio relinquant. Illud tamen ad rem præſentem præſtabilius, quod qui facultate dicendi, ac pio ardore cæteris præpollere videantur, dominica quaque die, tum per Adventum, tum per majora jejunia concionari jubentur in templo palam lingua Germanica. Utque multi ſemper Germani Opifices in Urbe ſunt, iis diebus in D. Apollinaris plerique concurrunt, ut Oratorem ſermone patrio perorantem audiant. Omnia

63. Oratiuncula coram Pontifice, aliaque in Templo oratio.

64. Conciones per Adventum & Quadrageſimam.

Omnia demum ſi ſpectes, nihil in hoc Collegio videtur deeſſe ad perfectionem officii Sacerdotalis, cujus in ſpem Alumni formantur, nihil admodum immutatis primis illis potioribuſque Collegii inſtitutis, nec primævo fervore ejus exſtincto. Mirabitur potius quiſpiam, tanta rerum ac ſtudiorum mole non obrui opprimique ingenuos adoleſcentes, & erunt fortaſſe qui dicant, plura iis imponi majoraque, quam ferre ætas ac valetudo poſſit. Verum, ut multa ſint quæ imponuntur, nec levia, ea ſuo quæque geruntur tempore, ſuo ordine. Porro quid rerum gerendarum ordo, quid apta partitio temporis, quid certæ vivendi leges ad res commode gerendas valeant, experti ſciunt. Hac ſane ratione fieri videmus ab intentis multa, eaque valde operoſa, quæ male feriati, ac temere viventes homines fieri negabunt poſſe. Ad rem quod attinet, illud intereſt, illud agitur maxime in hoc Collegio, ne otio torpeſcant Juvenes, malorum multorum altore, juventutis pernicie. Cæterum occupantur, non obruuntur labore, & in vita tam actuoſa, qualem hactenus deſcripſimus, ſuæ illis laborum intermiſſiones ſunt, ſuæ animi relaxationes, quibus & reficiuntur vires, & valetudo ſalva conſiſtit. Duas minimum quotidie habent horas ab omni cura vacuas, quas mutuis inter ſe colloquiis tranſigunt, alteram a prandio, a cœna alteram, idque præter horarum ſegmenta plurima, quibus interdiu colloqui permiſſum eſt. Ipſi illi itus quotidiani ad ſcholam reditusque ceſſationis inſtar ac levamenti ſunt, gaudente aperto cælo juventute, nihilque ægrius ferente quam in arcto degere intra ſepta. Quibus diebus procedunt in villam, de qua ſæpe diximus, non uno diſtinentur ludo, tum ad animi ſolatium, tum ad ſalubrem exercitationem corporis. Alii trudiculis ligneis in aperto ſolo, alii eburneis in tabulato, ex propriis cujuſque ludi legibus certant. Sunt qui

65. Occupantur Alumni, non obruuntur labore.

66. Quæ ad animi relaxationem pertinent.

67. Ludi Alumnis in Villa permiſſi.

ampla in area grandiores e ligno globos in versatilem e ferro orbem impellunt, magno nisu, nec sine æmulatione industriæ. Ludi præter hos cæteri sunt interdicti. Lusorias vero chartas attingere sceleri proximum haberetur. Quibus exiliores sunt vires, aut in umbra virentium lauretorum libri aliquid volutantes sedent, aut apricantur, aut inambulantes, atque inter se colloquentes, diem fallunt. Jam

68. Relaxationes quædam extra ordinem.

hæc cessatio, hæc animi quies, hæc in puro ac patenti solo commoratio placida atque tranquilla, semel redit singulis hebdomadis feriato die, per Bacchanalia vero, & Autumni tempore multo sæpius. Quin etiam per Bacchanales dies, ne expertes omnino Alumni sint spectaculorum, quæ sunt ejus temporis propria, nunc theatrum adeunt Seminarii Romani, spectantque generosæ illius Juventutis comicas actiones, nunc aliqua simili actione, aut per externos adolescentes, aut per venales Histriones distinentur domi. Et siquidem modulis musicis maxime delectantur, editur interdum per delectos Cantores carmen in suo genere exquisitissimum, quod magnam populi ac nobilitatis frequentiam attrahit. Apparatus ac pompas

69. Celebriora quæque Urbis spectatum eunt.

publicas, quæ sunt Romæ crebræ, & per quam magnificæ, si bacchanales ludos excipias, & quædam hujus generis alia, spectatum ire nunquam vetantur, nisi tamen incidant in dies festos, cum serviendum Ecclesiæ est, eaque abesse non licet. Sacellum quoque Pontificium ut adeant permittitur diebus celebrioribus, atque ita quidem, ut omnes per suas vices aspiciant aliquando Pontificem maximum cum sacro Senatu, cunctisque ordinibus Ecclesiastici Principatus, divinis ritibus operantem, mirenturque Religionis veræ majestatem in eo conventu, quo nihil toto

70. Honor Alumnis deferri solitus in Sacello Pontificio.

Orbe terrarum augustius. Quin etiam ii, qui annum ultimum in Collegio decurrunt, utpote proxime discessuri, ex quadam veteri prærogativa admitti consuevere ad pedes

Ponti-

Pontificis Purificatæ Virginis festo die, ex ejusque manu candelam solemni prece sacratam, pro more ejus diei, accipiunt. Ac similem honorem ferunt Feria IV. Quinquagesimæ, cum sacros cineres dispertit Pontifex, & Dominica die Palmarum. Ad hæc diebus canicularibus, cum pomeridianæ lectiones vacant, prodeunt quotidie Alumni domo divisis agminibus, jamque celebriora Urbis templa, jam sumptuosiora palatia, jam suburbanas villas atque hortos, ut præscripserit Rector, spectatum eunt, hac tantum imposita lege, ut præmoneant Ministrum, ac sole

71. De profectione Tusculana.

occiduo domum se referant. Neque hic omiserim lætam præ cunctis, ac maxime concupitam diem, cum quibus excurrit annus tertius Theologiæ, adire Tusculum, XII. ab Urbe lapide, permissum est, spectandi causa celebres illas ac plane regias Procerum Romanorum villas. Discedunt vix albente cælo invecti curribus, totamque eam diem inter amœna vireta, ac mille aquarum ex occulto micantium insidias ac lusus, præter regale epulum, quod ipsorum sumptu paratur, plane hilariter ducunt. Quæ, qualiacunque sint, idcirco commemoranda existimavimus, ut cognoscere quivis possit, non sic gravari Alumnos labore, ut laboris honesta ac plane jucunda non habeant solamina, & immerito Collegii hujus disciplinam justo rigidiorem ab ignaris dici. Optandum sane, ut quemadmodum a Majoribus ad nos usque pervenit, sic in omne tempus posterum integra semper & incolumis sit. Quod votum semper antea justum, nunc etiam sacrum sanctumque debet videri, postquam hæc eadem disciplina gravissimo summi Principis, rerumque æstimatoris æquissimi judicio est

72. Collegium invisit Josephus II. Imperator.

comprobata. Nam, ut addam extremo loco rem unam omnium maxime ad Collegii commendationem illustrem, in eaque claudam historiam, paulo ante quam hæc scriberemus advectus ex insperato Romam Josephus II. Imperator

Auguſtus, nulla ille quidem Imperatoriæ Majeſtatis ſpecie, ſat cognitus tamen, atque ab ipſis virtutibus agnoſcendus,
73. Inquirit de diſciplina, eamque approbat.
cum celebriora Urbis ædificia, tum hoc inprimis ſuæ Nationis Collegium inviſere feſtinavit. Utque Princeps mire perſpicax, quocunque ierit, ita contemplatur omnia, ut penitiora ſcrutetur, quippe intimas rerum notitias ad artes regnandi referens; horas minimum tres in Collegio verſatus, de Juventutis inſtitutione, moribus, ſtudiis, atque omni diſciplina diligentiſſime edoceri, jam Italice Patres, jam Germanice Alumnos, omnes incredibili comitate alloquens, voluit, nihilque omnium non probare,
74. Summæ humanitati parem exhibet pietatem.
magnopereque collaudare eſt viſus. Sacræ deinde rei, quæ ea die (& erat ſanctioris hebdomadæ dies quinta) cum uſitatis ejus diei cæremoniis ac ritibus in templo agebatur, ſumma pietate ac religione interfuit, nunquam animo aut oculis evagatus, plane ut affici videretur Chriſti patientis
85. Novum inde ac ſummum decus Collegio additum.
memoria, quam iis diebus recolit, ſubjicitque Chriſtianorum oculis ſordidata ac mœrens Eccleſia. Rebus demum omnibus prolixe approbatis, cohortatus humaniſſime Patres ut Juventutem ita pergerent inſtituere, Alumnos ut occaſione ac tempore uterentur, abſceſſit, Patribus æque atque Alumnis incredibili gaudio perfuſis, tum quod honore tanto eſſent dignati ab ſummo Orbis Principe, tum præcipue quod ab tam acris ingenii Principe ſuas res comprobatas cernerent. Huic ego facto quod addam nihil eſt. Et facti memoriam idcirco huic monumento conſignatam volui, ne qua vetuſtate res deleatur, ære alioqui aut marmore, quo patentior perenniorque ſit, inſculpenda.

ALUM-

ALUMNORUM VARIA INDUMENTA.



ALVMNVS IN CHORO ECCLESIAE



ALVMNVS DOMI TEMPORE AESTIVO



ALVMNVS DOMI HIBERNO TEMPORE



ALVMNVS PER VRBEM INCEDENS

CATA-

CATALOGUS VIRORUM ILLUSTRIUM

Qui ex Collegio Germanico & Hungarico prodierunt.

VIRI ILLUSTRES EX CONVICTORIBUS.

GREGORIUS XV. Pont. Max., antea ALEXANDER LUDOVISIUS Archiepiſcopus Bononienſis.

S. R. E. CARDINALES.

Flavius Urſinus ex Ducibus Gravinæ Archiep. Coſentinus.

Michael Bonellus Ord. Prædic. S. Pii V. P. M. Sororis Nepos, Ep. Albanenſis, S. R. E. Camerarius.

Cynthius Paſſerus Aldobrandinus Clementis VIII. P. M. Sororis filius, Major Pœnitentiarius.

Ludovicus de Torres S. R. E. Bibliothecarius, Archiep. Montis Regalis.

Carolus de Comitibus ex Ducibus Poli, Ep. Anconitanus.

Innocentius de Bubalo de Cancellariis Epiſc. Camertinus.

Franciſcus Maidalchinus.

Bandinus Panciaticus Prodatarius, & Sacr.Congr.Conc.Præf.

Joſephus Renatus Imperiali ex Principibus Francavillæ, Præfectus Boni Regiminis, & Diſciplinæ Regularis.

Joannes Baptiſta Ptolemæus Soc.Jeſu, Præfectus Congregationis Linguarum Orientalium.

Joannes Baptiſta ex Marchionibus Salernis Soc. Jeſu.

Poſtremos hoſce duos ideo huic Catalogo accenſuimus, quia prior Collegii erat Rector cum creatus eſt Cardinalis, alter Jus Canonicum aliquandiu docuerat in eodem Collegio.

EPI-

EPISCOPI.

Andreas Baccalar, Episcopus Algariensis, ac deinde Archiepiscopus Turritanus seu Sassaritanus. Vir linguarum peritissimus, Opera S. Joannis Damasceni in latinum vertit.

Josephus Faraonius Messanensis, Episcopus Massæ-Lubrensis, ac deinde Crotonensis.

Rutilius Benzonius Romanus, Episcopus Lauretanus, & Recinetensis, pietate, doctrina, pluribusque editis Theologicis voluminibus illustris.

Napoleo Comitolus Perusinus, S. Rom. Rotæ Auditor, ac deinde Ep. Perusinus: vitæ sanctitate commendatus.

Jo: Dominicus Rebiba Messanensis, Episcopus Ortonensis, ac deinde Catanensis.

Paullus Æmilius Sadoletus Mutinen., Ep. Carpentoractensis.

Sebastianus Ghislerius a Bosco, S. Pii V. fratris filius, Episcopus Strongulensis.

Robertus Perbenedetti Camers, Episcopus Nucerinus, singulari sanctimonia clarus.

Julius Sansedonius Senensis, Episcopus Grossetanus; abdicato Episcopatu, & singulari sanctitate conspicuus. Vitam B. Ambrosiii Sansedonii gentilis sui conscripsit.

Maphæus e Comitib. Gambara Brixiensis, Ep. Derthonensis.

Guillelmus Cisolmus Scotus, Episcopus Dumblanensis in Scotia, deinde Vassionensis in Gallia, tandem Episcopatu dimisso sub Sixto Papa V. pius Carthusianus.

Marcellus Crescenzi Romanus, Episcopus Assisiensis.

Philippus Billius Eugubinus, Clericus Regularis, Ep. Calliensis.

Sigismundus Donatus Corrigiensis, Episcopus Venusinus, ac deinde Asculanus, Nuncius Apostolicus Pauli V. apud Venetos.

Claudius Sozomenus Cyprius, Episcopus Polensis in Istria.

CON-

CONVICTORES ALII

ALIIS NOMINIBUS COMMENDATI.

Tiberius Cybo e Ducibus Massæ & Carrariæ, Princeps natus.

Paulus Guinisius Parmensis, Utriusque Signaturæ Referendarius.

Paulus Alaleona Maceratensis, primus Cærem.Pontific.Mag.

Rusticuccius Rusticucci Fanensis, Utriusq. Signat. Referend.

Marcus Antonius Olgiatus Comensis, Utriusq. Sign. Referendarius & R. C. A. Præses.

Fabritius Rebiba Messanen., Sixto PP. V. a cubiculo secretiore.

Alexander Settonius Scotus, Regni Scotiæ Magnus Cancellarius & Prorex.

Augustinus Mascardus Sarzanensis, Philosophus ævo suo clarus.

Fabius Ranucci Maceraten., J.U. consultiss., libris editis celebris.

Marcus Antonius Amici Maceratensis libris editis clarus.

Ludovicus Benius Eugubinus vir linguarum peritissimus, complura vulgavit philosophica & philologica volumina.

Hieronymus e Comitibus Martinenghis Brixiensis, summis abdicatis honoribus Cappuccinorum ordinem ingressus, in eo pie vixit atque obiit.

Jo: Baptista Piscator Novariensis Soc. Jesu, ob vitæ innocentiam S. Aloysio Gonzagæ carus & familiaris.

Augustinus Justinianus Genuensis) *Hi omnes clari e So-*
Jo: Baptista Peruscus Romanus) *cietate Jesu Scripto-*
Benedictus Justinianus Genuensis) *res fuere, eorumque*
Joannes Hayo Belga) *variis de rebus scripta*
Julius Fuligatti Cæsenas) *recensentur ab Ale-*
Stanislaus Grodzicki Polonus) *gambe in Bibliotheca*
Hieronymus Dandinus Cæsenas) *Societatis. Quidam*
Petrus Ximenes Toletanus) *etiam non solum do-*
Antonius M. Parentuccelli Sarzanensis) *ctrina, sed etiam san-*
Nicolaus Orlandinus Florentinus) *ctitate eminuere, ut*
Ludovicus Roggerius Aretinus.) *ibidem videre est.*

Thomas Cottamus Anglus Soc. Jesu, in Anglia occisus in odium Fidei.

Ven. Rodulphus Aquaviva Neapolitanus Soc. Jesu, in Salsettis insulis pro Christi fide necatus, de cujus Martyrio constare declaravit Benedictus XIV. *Hunc ideo apponimus, quia ex hoc Collegio, ubi per triennium Theologiæ operam dedit, ad Indos profectus est.*

VIRI ILLUSTRES

EX ALUMNIS GERMANIS ATQUE HUNGARIS.

S.R.E. CARDINALES.

Franciscus ex S. R. I. Comitibus a Dietrichstein, Episcopus & S. R. I. Princeps Olomucensis.

Franciscus Willhelmus, Ferdinandi Bavariæ Ducis filius, S. R. I. Comes de Wartenberg, Episcopus & S. R. I. Princeps Osnabrugensis, Mindensis, Verdensis, & Ratisbonensis.

Ernestus Adalbertus ex S. R. I. Comitibus ab Harrach, Archiep. Pragensis, Bohemiæ Primas, Episcopus Tridentinus, & S. R. I. Princeps.

Guidobaldus ex S. R. I. Comitibus de Thun, Archiep. Salisburgensis, Germaniæ Primas, Sedis Apostolicæ Legatus Natus, Ep. Ratisbonensis, & S. R. I. Princeps.

Maximilianus Gandolphus ex S. R. I. Comitibus de Küenburg Archiep. & S. R. I. Princeps Salisburgensis, Germaniæ Primas & Sedis Apostolicæ Legatus Natus.

Guillelmus ex S. R. I. Comitibus de Fürstenberg, Episc. S. R. I. Princeps Argentoratensis, & Abbas S. Germani in Gallia.

Wolffgangus ex S. R. I. Comitibus de Schrattenbach, Episc. S.R.I. Princeps Olomucensis, Utriusque Siciliæ Prorex, Damia-

Damianus ex S. R. I. Comitib. de Schönborn Buchaim, Episcopus Spirensis & Constantiensis, Præpositus Weissenburgensis & Odenheimensis, S. R. I. Princeps, & Præceptor Ordinis Teutonici.

Sigismundus de Kollonitz ex S. R. I. Comitib. de Treyberg &c., primus Archiep. Viennensis S. R. I. Princeps.

Emericus Csáky ex Comitibus Scepusii &c., Archiepisc. Colocensis.

Thomas Philippus de Alsatia ex S.R.I. Comitibus de Bosù, & Principib. S. R. I. & de Chimay, Archiep. Mechliniensis, Belgii Primas.

Ferdinandus ex S. R. I. Comitibus de Troyer, Episcop. & S. R. I. Princeps Olomucensis.

Christophorus ex S. R. I. Comitibus Migazzi de Waal & Sonnenthurn, Archiep. S. R. I. Princeps Viennensis, & Administrator Episcopatus Vaciensis.

S. R. I. ELECTORES.

Jo. Suicardus ex Liberis Baronibus a Cronenberg, Archiepiscopus Moguntinus, S. R. I. Princeps Elector, & per Germaniam Archicancellarius.

Georgius Fridericus ex Liberis Baronibus de Greiffenclaw, Episcopus S. R. I. Princeps Wormatiensis, ac deinde Archiepiscopus Moguntinus, S. R. I. Princeps Elector, ac per Germaniam Archicancellarius.

Anselmus Casimirus ex Liberis Baronibus de Wamboltt ab Umbstatt, Archiepiscopus Moguntinus, S. R. I. Princeps Elector, ac in Germania Archicancellarius.

Philippus Christophorus ex Liberis Baronibus de Sötern, Episcopus S. R. I. Princeps Spirensis, ac deinde Archiepiscopus Trevirensis, S. R. I. Princeps Elector, & per Galliam Archicancellarius.

Jo: Hugo ex Liberis Baronibus ab Orsbeck, Epiſcopus S.R.I. Princeps Spirenſis, poſtea Archiepiſc.Trevirenſis, S.R.I. Princeps Elector, ac per Galliam Archicancellarius.

Philippus Carolus ex S. R. I. Comitibus ab & in Eltz, Archiepiſcopus Moguntinus, S. R. I. Princeps Elector, ac per Germaniam Archicancellarius.

PRIMATES ET ARCHIEPISCOPI.

Nicolaus Scered Archiepiſcopus Tuamenſis in Hibernia.

Wolffgangus Theodoricus a Raittenaw Archiepiſcopus S.R.I. Princeps Salisburgenſis, Germaniæ Primas, ac Sedis Apoſtolicæ Legatus Natus.

Marcus Sitticus ex S. R. I. Comitib. ab Alta-Emps, S. Caroli Borromæi Sororis filius, Archiepiſcopus S.R.I. Princeps Salisburgenſis, Germaniæ Primas, & Sed. Ap. Leg. Nat.

Emericus Loſi Epiſcopus Csanadienſis, dein Archiepiſcopus Strigonienſis, Regni Hungariæ Primas, Sedis Apoſtolicæ Leg. Natus: Seminarii Poſonienſis Fundator.

Andreas Creuſen Epiſcopus Ruremundanus, poſtea Archiepiſcopus Mechlinienſis, Belgii Primas.

Georgius e Comitib. Lippay Epiſcopus Agrienſis, deinde Nitrienſis, Regni Hungariæ Cancellarius, poſtea Archiepiſcopus Strigonienſis, ejuſdem Regni Primas, ac Sedis Apoſtolicæ Legatus Natus: Collegiis & Seminariis fundatis de re Catholica optime meritus.

Georgius Pohroncius Szelepcséni Epiſcopus Veſprimienſis, deinde Nitrienſis, Regni Hungariæ Cancellarius, poſtea Archiepiſc. Colocenſis, demum Strigonienſis, ejuſdem Regni Primas, Sedis Apoſt. Legat. Natus, ac S.R.I. Princeps: Collegiis, & Seminariis erectis celeberrimus.

Martinus Borkovich Ord. S. Pauli primi Eremitæ Prior Generalis LV., Epiſcopus Zagabrienſis, & Archiepiſcopus Colo-

Colocensis, Sanctitate vitæ in Hungaria laudatissimus.

Jo. Guillelmus L. B. a Kollowrat in Archiepiscopum S. R. I. Principem Pragensem nominatus, sed ante confirmationem morte interceptus.

Joannes Gubasoczy Episcopus Quinqueecclesiensis, dein Vaciensis, postea Nitriensis, & tandem Archiepiscopus Colocensis, ac Regni Hungariæ Cancellarius.

Jo. Josephus ex S.R.I. Comitib. a Breiner Episcopus Viennensis, deinde Archiepiscopus S. R. I. Princeps Pragensis, Bohemiæ Primas.

Paulus Szécsényi Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Episcopus Quinqueeclesiensis, deinde Vesprimiensis, & tandem Archiepiscopus Colocensis.

Emericus ex Comitib. Eszterházy Ord. S. Pauli primi Eremitæ Prior Generalis LXIII., Episcopus Vaciensis, tum Zagabriensis, postea Vesprimiensis, ac Regni Hungariæ Cancellarius, demum Archiepisc. Strigoniensis, ejusdem Regni Primas, Sedis Ap. Legat. Nat. & S.R.I. Princeps.

Leopoldus Antonius ex L. B. de Firmian, Episcopus S. R. I. Princeps Lavantinus, dein Seccoviensis, ac tandem Archiepiscopus S. R. I. Princeps Salisburgensis, Germaniæ Primas, & Sedis Apostolicæ Legatus Natus.

Jacobus Ernestus Julius e S. R. I. Comitib. de Liechtenstein Episc. S.R.I. Princeps Seccoviensis, deinde Olomucensis, ac demum Archiepiscopus S. R. I. Princeps Salisburgensis, Germaniæ Primas, & Sedis Apost. Leg. Natus.

Gabriel Hermannus ex L. B. Patachich de Zajesda Episcopus Syrmiensis, ac deinde Archiepiscopus Colocensis.

Nicolaus Comes Csáky de Keresztszegh Episcopus Magno-Varadiensis, mox Archiepiscopus Colocensis, demum Strigoniensis, Regni Hungariæ Primas, Sedis Apostolicæ Legatus Natus, & S. R. I. Princeps.

Franciscus Xaverius Klobussiczky ex L. B. de Zetheni Episc. Tran-

Tranſilvanienſis, deinde Zagabrienſis, & demum Archiepiſcopus Colocenſis.

Antonius Petrus Przichowſzky ex L. B. de Przichowitz, Archiepiſcopus S. R. I. Princeps Pragenſis, Bohemiæ Přimas.

Franciſcus Comes Barckoczy Epiſcopus Agrienſis, poſtea Archiepiſcopus Strigonienſis, Regni Hungariæ Primas, Sedis Apoſtolicæ Legatus Natus, & S. R. I. Princeps.

Jo. Henricus ex S. R. I. Comitib. de Frankenberg Archiepiſcopus Mechlinienſis, Belgii Primas.

EPISCOPI.

Andreas Jerinus Epiſcopus S. R. I. Princeps Uratislavienſis.

Joannes Teltz Epiſcopus S. R. I. Princeps Olomucenſiſis.

Stanislaus Paulowſcky Epiſcopus S. R. I. Princeps Olomucenſis.

Joannes Bogenrinus Epiſcopus Tergeſtinus.

Paulus Albertus Epiſcopus S. R. I. Princeps Uratislavienſis.

Georgius Stobæus Epiſcopus S. R. I. Princeps Lavantinus.

Joannes Plazgumerus Epiſcopus S. R. I. Princeps Brixinenſis.

Nicolaus Novák Epiſcopus Csanadienſis.

Henricus a Knörnigen Epiſcopus S. R. I. Princeps Auguſtanus.

Paulus David Czalokózy Epiſcopus Veſprimienſis.

Jacobus Eberlin Epiſcopus S. R. I. Princeps Seccovienſis.

Ehrenfridus ex Lib. Baronib. a Küenburg, Epiſcopus S. R. I. Princeps Chiemenſis.

Antonius Wolfradt Ord. S. Benedicti, Abbas Cremiphanenſis, deinde Epiſcopus S. R. I. Princeps Viennenſis.

Georgius Nagy-falvay Epiſcopus Tranſilvanienſis, deinde Vacienſis.

Ladislaus Deáky Epiſcopus Modruſienſis.

Anto-

Antonius ex L. B. de Crosina Episcopus S. R. I. Princeps Brixinensis.

Nicolaus Braikovich Episcopus Segniensis, deinde Zagrabiensis.

Ladislaus Martinyi Episcopus Syrmiensis & Vaciensis.

Thomas Balasffy Episcopus Bosniensis, ac deinde Quinqueccleſiensis.

Guillelmus a Velsperg Episcopus S. R. I. Princeps Brixinensis.

Jo. Christophorus e Comitibus S. R. I. de Liechtenstein Episcopus S. R. I. Princeps Chiemensis.

Jo. Georgius e Lib. Baronib. ab Herbestein electus in Episcopum S. R. I. Principem Ratisbonensem, & confirmatus; sed paucos post menses obiit nondum consecratus.

Albertus Beatus a Ramstein Episcopus S. R. I. Princeps Basileensis.

Carolus Wandenbosch Episcopus Brugensis, Flandriæ Cancellarius, deinde Episcopus S. R. I. Princeps Gandavensis.

Philippus Fridericus ex S. R. I. Comitib. a Breiner Episcopus S. R. I. Princeps Viennensis.

Jo. Flugius ab & in Aspremont Episcopus S. R. I. Princeps Curiensis.

Georgius ex Comitib. Dráskovics Episcopus Jaurinensis.

Michael de Kopcsányi Episcopus Syrmiensis.

Benedictus Kisdy Episcopus Agriensis, Collegii, Seminarii, ac Universitatis Cassoviæ Fundator, vitæ sanctimonia illustris.

Andreas Francisci Ord. S. Pauli primi Eremitæ Episcopus Syrmiensis.

Otho Fridericus ex S. R. I. Comitib. a Pucheim Episcopus S. R. I. Princeps Labacensis.

Albertus Priamus Episcopus S. R. I. Princeps Lavantinus.

Joan-

Joannes Eberlin Episcopus S. R. I. Princeps Viennensis.

Marquardus Schenk ex S. R. I. Comitib. a Castell Episcopus S. R. I. Princeps Eyclladiensis.

Joannes ex L. B. Ecker de Käpfing Episcopus S. R. I. Princeps Frisingensis, vir singulari in pauperes liberalitate.

Franciscus Vigilius ex L. B. a Spaur Episcopus S. R. I. Princeps Chiemensis.

Carolus Grimming Episcopus S. R. I. Princeps Gurcensis.

Franciscus Joannes ex L. B. a Prasberg Episcopus S.R.I. Princeps Constantiensis.

Georgius Jakusich de Orbova ex Lib.Baronib. in Oroszlány-kö Episcopus Wesprimiensis, deinde Agriensis, & Reginæ Hungariæ Cancellarius.

Georgius Telegdi Episcopus Nitriensis.

Stephanus ex L. B. Bosnyák de Magyarbely Episcopus Quinqueecclesiensis, dein Vesprimiensis, Regni Hungariæ Cancellarius, ac demum Episcopus Nitriensis.

Franciscus Alberti Episcopus S. R. I. Princeps Tridentinus.

Paulus Hoffman Episcopus Quinqueecclesiensis, postea Vesprimiensis.

Adamus Laurentius ex L. B. a Törring Episcopus S. R. I. Princeps Ratisbonensis.

Nicolaus Posgay Episcopus Jaurinensis.

Franciscus e Comitibus S. R. I. de Lodron Episcopus S. R. I. Princeps Gurcensis.

Jo. Franciscus ex L. B. a Schonaw Episcopus S. R. I. Princeps Basileensis.

Wildericus ex L. B. a Walderdorff Episcopus Viennensis, S. R. I. Princeps & Pro-Cancellarius.

Leonardus Franciscus Szegedy Episcopus Transilvaniensis, deinde Vaciensis, postea Agriensis.

Georgius Pongrácz Episcopus Vacciensis.

Sigi-

Sigiſmundus Alphonſus de Thun, Epiſcopus S. R. I. Princeps Brixinenſis, & deinde etiam Tridentinus.

Thomas Emericus e Comitibus Pálffy, Epiſcopus Csanadienſis, Vacienſis, Agrienſis, & Nitrienſis.

Petrus Philippus ex L. B. a Dernbach, Epiſcopus S. R. I. Princeps Bambergenſis, & Herbipolenſis, Dux Franconiæ Orientalis, vir ſanctitatis eximiæ.

Jo: Baptiſta e Comitib. S. R. I. de Lodron, Epiſcopus S.R.I. Princeps Gurcenſis.

Albertus ex S. R. I. Comitib. de Waldſtein, Epiſcopus S. R. I. Princeps Viennenſis.

Stephanus ex L. B. Sennyei, Epiſcopus Veſprimienſis, ac Reginæ Hungar. Cancellarius.

Georgius Bárſony, Epiſcopus Tranſilvanienſis, poſtea Magno-Varadienſis, & tandem Agrienſis, multis pro Catholica Fide adverſitatibus conflictatus.

Sebaſtianus ex S. R. I. Comitib a Pötting, Epiſcopus S. R. I. Princeps Lavantinus, ac deinde Patavienſis.

Nicolaus Balogh, Epiſcop. Csanadienſis, ac deinde Vacienſis.

Erneſtus ex S. R. I. Comitib. a Trautſon, Epiſcopus S.R.I. Princeps Viennenſis.

Jo: Marcus ex L. B. Roſſetis, Epiſcopus Petinenſis.

Andreas Daniel ex L. B. a Raunach, Epiſcopus Petinenſis.

Auguſtinus Benkovich, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Prior Generalis LVIII., dein Epiſcopus Magno-Varadienſis, & Præpoſitus Leleszienſis, ſanctitatis fama conſpicuus.

Henricus Hartardus ex L. B. a Rollingen, Epiſcopus S. R. I. Princeps Spirenſis.

Stephanus Telekeſy, Epiſcòpus Csanadienſis & Agrienſis, maximis repudiatis dignitatibus, zelo Apoſtolico, & invicta patientia illuſtris.

Joannes e Comitibus Kéry, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ

Prior Generalis LVII., Episcopus Syrmiensis, deinde Csanadiensis, tandem Vaciensis. Complures libros in lucem edidit.

Fridericus Christianus a Plattenberg, Episcopus S. R. I. Princeps Monasteriensis.

Sigismundus Christophorus ex S. R. I. Comitib. ab Herbestein, Episcopus S. R. I. Princeps Labacensis. Abdicato Episcopatu, inter Presbyteros Oratorii S. Philippi Nerii cooptatus, sanctissimo obitu vitam clausit.

Ladislaus Mattyasowski, Episcopus Nitriensis, & Regni Hungariæ Cancellarius.

Andreas Illyés, Episcopus Transilvaniensis, vir doctus, qui volumina non pauca conscripsit.

Blasius Jaklin, Episcopus Nitriensis, & Regni Hungariæ Cancellarius.

Jo. Antonius Knebel ex L.B. de Katzenellenbogen, Episcopus S. R. I. Princeps Eychstadiensis.

Jo. Puschi, Episcopus Jaurinensis.

Jo. Franciscus Kuen ex L. B. ab Aver, Episcopus S. R. I. Princeps Brixinensis.

Stephanus Dolny, Episcopus Csanadiensis.

Joannes Pyber, Episcopus Agriensis.

Sigismundus Antonius Ordódy, Episc. Magno-Varadiensis.

Jo. Conradus a Reinach, Episc. S. R. I. Princeps Basileensis.

Valentinus Drugeth ex Comitibus de Homonna, Episcopus Modrusiensis.

Ferdinandus Paulus Ernestus Maximilianus ex S. R. I. Comitibus de Berlo, Episcopus Namurcensis.

Franciscus Arnoldus ex Lib. Baronib. a Metternich, Episcopus S. R. I. Princeps Paderbornensis, ac deinde Monasteriensis.

Stephanus Illyés Episcopus Samandriensis seu Belgradiensis.

Joannes ex S. R. I. Comitibus a Küenburg, Episcopus S. R. I. Princeps Lavantinus.

Jo.

Jo. Philippus ex Comitibus S. R. I. a Schönborn, Episcopus S. R. I. Princeps Herbipolensis, Dux Franconiæ Orientalis.

Fridericus Carolus ex Comitibus S.R.I. a Schönborn, Episcopus S. R. I. Princeps Bambergensis & Herbipolensis, Dux Franconiæ Orientalis.

Gaspar Ignatius ex S. R. I. Comitib. a Königl, Episcopus S. R. I. Princeps Brixinensis.

Jo. Antonius ex L. B. a Freyberg & Eissenberg, Episcopus S. R. I. Princeps Eychstadiensis.

Ladislaus Szürenyi Episcopus Csanadiensis. Ea sanctitatis fama e vivis excessit, ut ejus virtutes post obitum editæ typis fuerint.

Franciscus Ignatius Mednianscky, ex Lib. Baronib. de Medgyes, Episcopus Vaciensis.

Jacobus Maximilianus ex S. R. I. Comitib. de Thun, Episcopus S. R. I. Princeps Gurcensis.

Ladislaus Adamus ex Comitib. Erdödy, Episcopus Nitriensis, & Regni Hungariæ Vice-Cancellarius.

Sigismundus Felix ex S. R. I. Comitib. a Schrattenbach, Episcopus S. R. I. Princeps Labacensis.

Joannes Okolicsány, Episcopus Magno-Varadiensis.

Gabriel Antonius e Comitib. Erdödy, Episcop. Agriensis. Liberalitate in pauperes aliisque virtutibus adeo insignis, ut ejus vita typis vulgata sit.

Antonius Josephus Sigismundus ex S. R. I. Comitib. a Reinach in Surbrunn, Episcopus S. R. I. Princeps Basileensis.

Jo. Constantinus Pataky, in Missionibus, quibus Transilvaniam & Valachiam lustravit, zelo Apostolico clarus: eamque ob causam Episcopus Græci Ritus constitutus.

Carolus Josephus ex S. R. I. Comitib. a Küenburg, Episc.

S. R. I. Princeps Seccovienſis, ac deinde Chiemenſis.

Joſephus Ignatius ex L. B. de Ruvere, electus Epiſcopus Neoſtadienſis, ſed paucis diebus ante conſecrationem morte ſublatus.

Emericus Gabriel e Comitib. Eſzterházy de Gáláutha, Epiſcopus Nitrienſis, Regni Hungariæ Cancellarius.

Simon Nicolaus ex Comitibus S.R.I. de Froberg, Epiſcopus S. R. I. Princeps Baſileenſis.

Leopoldus Maria ex Comitibus S. R. I. a Spaur, Epiſcopus S. R. I. Princeps Brixinenſis.

Sigiſmundus Joſephus ex Comitib. Berényi de Karancs-Berény, Epiſcopus Quinqueccleſienſis.

Paulus ex Comitib. Forgach, Epiſcopus Magno-Varadienſis, ac deinde Vacienſis.

Adalbertus ex L. B. de Walderdorff Ord. S. Benedicti, Epiſcopus & Abbas S. R. I. Princeps Fuldenſis, Primas Abbatum in Germania & Gallia, & Romanorum Imperatricis Archi-Cancellarius.

Joſephus Antonius Chiolnich de Chiolka, Epiſcopus Boſnienſis.

Franciſcus Felix ex S. R. I. Comitib. de Albertis, Epiſcopus S. R. I. Princeps Tridentinus.

Franciſcus ex Comitib. Zichy de Váſonkò, Epiſcopus Jaurinenſis.

Cyriacus Ferdinandus ex S.R.I. Comitib. ab Halweill, Epiſcopus Neoſtadienſis.

Franciſcus Antonius e Comitib. Engl de Wagrein, Epiſcopus Csanadienſis.

Adamus Fridericus ex S. R. I. Comitib. de Seinſcheim, Epiſcopus S.R.I. Princeps Bambergenſis, & Adminiſtrator Epiſcopatus Herbipolenſis, Dux Franconiæ Orientalis.

Jo: Baptiſta ex S. R. I. Comitib. de Turri Valſaſſina & Taxis, Epiſcopus S. R. I. Princeps Lavantinus.

Leo-

Leopoldus Ernestus ex L. B. de Firmian Episcopus S. R. I. Princeps Seccoviensis, ac deinde Pataviensis.

Jo: Antonius ex L. B. de Federspil, Episcopus S. R. I. Princeps Curiensis.

Adamus ex L. B. Patachich de Zajezda, Episcopus Magno-Varadiensis.

Emmanuel ex Comitibus S. R. I. de Waldstein, Episcopus Litomericensis in Bohemia.

Jo: Baptista ex S. R. I. Comitib. de Pergen, primum Sacræ Romanæ Rotæ Auditor, deinde Episcopus Mantuanus, & S. R. I. Princeps.

Josephus Philippus e Comitibus S. R. I. a Spaur, Episcopus S. R. I. Princeps Seccoviensis.

Ignatius Koller de Nagy-mánya, Episcopus Vesprimiensis.

Carolus e Comitib. Eszterházy de Gálántha, Episcopus Agriensis.

Ludovicus e Liberis Baronibus de Welden, Episcopus S. R. I. Princeps Frisingensis.

EPISCOPI TITULARES, ET SUFFRAGANEI.

Nicolaus Elgardus, Episc. Ascalonensis, Suffraganeus Moguntinus Erfordiæ in Thuringia.

Christophorus Guillelmus Weylhamer, Suffraganeus Pataviensis.

Petrus Binsfeldt, Episcopus Azotensis, Suffraganeus Trevirensis.

Georgius ab Helffenstein, Suffraganeus Trevirensis.

Joannes Hertlinus, Suffraganeus Bambergensis.

Gerhardus Crane, Præpositus & Suffraganeus Topatensis in Livonia.

Henricus Fabritius, Suffraganeus Spirensis.

Hen-

Simon Feurſtein, Epiſcopus Bellinenſis, & Suffraganeus ac Præpoſitus Brixinenſis.
Eucharius Sangius, Suffraganeus & Viſitator Herbipolenſis.
Georgius Schultetus, Suffraganeus Wratislavienſis.
Martinus Chylenus, Suffraganeus Conſtantienſis.
Jo: Jacobus Mügel, Epiſcopus Sebaſtenſis, Suffraganeus Conſtantienſis.
Joannes Schonerus, Epiſcopus Naronenſis, & Suffraganeus Bambergenſis.
Cornelius Gobelius, Suffraganeus Trevirenſis.
Fridericus Fornerus, Suffraganeus Herbipolenſis & Bambergenſis. Vir Apoſtolicus & doctus, cujus multa exſtant ſcripta.
Chriſtophorus Gobelius, Suffraganeus Moguntinus.
Otho Gereon, Suffraganeus Colonienſis.
Joannes Prenner, Epiſc. Symbalienſis, Suffrag. Patavienſis.
Jodocus Wagenhauber, Suffraganeus Herbipolenſis.
Jo: Gaſpar Stredele, Suffraganeus Patavienſis, & Adminiſtrator Epiſcopatus Olomucenſis.
Jo: Bernardus ab Angeloch, Epiſcopus Chriſtopolitanus, & Suffraganeus Baſileenſis.
Jo: Antonius de Triddi, Epiſcopus Tiberiadenſis, & Suffraganeus Conſtantienſis.
Jo: Fridericus ex L. B. a Breiner, Epiſcopus Roſenſis, & Suffraganeus Olomucenſis.
Sebaſtianus Molitor ſeu Myllerus, Suffraganeus Auguſtanus.
Jo: Balthaſſar Lieſch, Epiſcopus Nicopolitanus, Suffraganeus & Adminiſtrator Epiſcopatus Wratislavienſis.
Ægidius Gelenius Præpoſitus Crenenburgenſis, Epiſcopus Aureliopolitanus, & Suffraganeus Oſnabrugenſis.
Zacharias Stumpff, Suffraganeus Herbipolenſis. Magnam ſanctitatis opinionem poſt ſe reliquit.

Ga-

Gaſpar Karas, Suffraganeus Olomucenſis.
Nicolaus Aliprandus de Thomaſiis, Suffraganeus Patavienſis, quod tamen munus ex Chriſtiana humilitate abdicavit.
Jeſſe Perchofer, Epiſcopus Bellinenſis, & Suffraganeus ac Decanus Brixinenſis.
Jo: Adamus ex Lib. Baronib. a Groſs, Suffraganeus Herbipolenſis.
Udalricus Grapper, Epiſc. Lampſacenus, Suffrag. Patavienſis.
Gabriel Haug, Epiſcopus Tripolitanus, & Suffraganeus Argentoratenſis.
Guillelmus Ludovicus Pentz, Suffraganeus Conſtantienſis.
Sigiſmundus Georgius Myllerus, Suffraganeus Conſtantienſis.
Joannes Vanovíczy, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, Epiſcopus Scardonenſis. Is, depoſita infula, ad clauſtrum rediit, & in Apoſtolico Miſſionum munere piiſſime obiit. Libros nonnullos in lucem edidit.
Michael Matkovich, Epiſcopus Scardonenſis.
Georgius Paris Ciurletta, Suffraganeus Salisburgenſis.
Andreas Szily a Palotta, Epiſcopus Scopienſis.
Joannes ex Lib. Baronib. ab Hedervara, Epiſcopus Scopienſis.
Willhelmus Vintler ex Liberis Baronibus a Platph, Suffraganeus Brixinenſis.
Jo. Henricus Anethanus, Epiſcopus Hierapolitanus, & Suffraganeus Hildeſienſis, ac deinde Colonienſis.
Joannes Kalamanczay, Epiſcopus Scardonenſis.
Georgius ex Comitib. Eſzterházy de Galántha, Epiſcopus Bacenſis, & Archidiaconus Strigonienſis.
Franciſcus Chriſtophorus de Rinck, Epiſcopus Amyclenſis, & Suffraganeus Eychſtadienſis.
Paulus Olasz Epiſcopus Tinninienſis.
Jacobus Senfft, Suffraganeus Moguntiuus Erfordiæ in Thuringia. Multa a Lutheranis perpeſſus, dignitatem dimiſit.
Jo. Wolffgangus ab & in Bodman, Suffraganeus Conſtantienſis.

Latiſ-

Ladislaus Pyber, Episcopus Almisiensis.
Maximilianus Henricus ex Liberis Baronibus de Weichs, Suffraganeus Hildesiensis.
Jo. Sigismundus Zeller ex Lib. Baronib. a Leiberstorff, Episcopus Bellinensis, & Suffraganeus, Præpositus, atque Administrator Frisingensis: editis de Jure Canonico voluminibus illustris.
Franciscus Theodoricus ex Lib. Baronib. a Guttenberg, Suffraganeus Augustanus.
Jo. Petrus Quentell, Episcopus Adrianopolitanus, & Suffraganeus Monasteriensis.
Franciscus Julianus ex S. R. I. Comitib. a Braida, Episcopus Hipponensis, & Suffraganeus Olomucensis.
Jo. Edmundus Gedult, Episcopus Mallensis, & Suffraganeus Moguntinus.
Franciscus Joannes Jezerniczky, Suffraganeus Strigoniensis.
Emericus ex L. B. a Pongrácz, Præpositus Major Scepusiensis, Episcopus Dorostonensis.
Jo: Vernerus Schnatz, Suffraganeus Bambergensis.
Franciscus Labsánczky Episcopus Arbensis.
Jo: Adamus Nieberlin, Suffraganeus & Vicarius Generalis Eychstadiensis.
Conradus Ferdinandus Geist de Wildegg, Suffraganeus Constantiensis.
Antonius Ignatius Müntzer, Episcopus Madaurensis, Suffraganeus Wratislaviensis.
Emericus Ignatius Luby, Episcopus Corczolensis.
Franciscus Engelbertus Barbo ex S. R. I. Comitib. a Waxenstein, Suffraganeus Wratislaviensis.
Andreas ex L. B. Péterffy, Episcopus Noviensis.
Godefridus Langwert Attenhaim, Suffraganeus & Administrator Ratisbonensis.
Petrus Cornelius de Beyweg, Suffraganeus Spirensis.

Paulus

Paulus e Comitibus Zichy, Canonicus Strigonienſis, Epiſcopus Driveſtenſis.

Joannes Kiſſ, Epiſcopus Anſarienſis.

Otho Honorius ex S. R. I. Comitib. ab Egkh, Suffraganeus Olomucenſis.

Joannes Jacobus de Mayer, Suffraganeus Auguſtanus.

Paulus Spaczay, Epiſcopus Arbenſis.

Elias Daniel a Sommerfeldt, Epiſcopus Leontopolitanus, & Suffraganeus Wratislavienſis.

Jo: Antonius ex L. B. de & in Sirgenſtein, Suffraganeus Conſtantienſis.

Paulus Bartakovich, Epiſcopus Almiſienſis.

Jo: Ferdinandus ex L. B. de Pôedigkeim, Epiſcopus Amyclenſis, & Suffraganeus Friſingenſis.

Ignatius Franciſcus ex L. B. ab Adelmann de Adelmansfelden, Epiſcopus Mactaritenſis, & Suffraganeus Auguſtanus.

Michael Frivaiſz, Suffraganeus Strigonienſis.

Jo. Chriſtophorus Crats, Epiſcopus Dibonenſis, & Suffraganeus Paderbornenſis.

Erneſtus Fridericus ex L. B. a Twickel, Suffraganeus Hildeſienſis.

Laurentius Hauſſ, Suffraganeus Baſileenſis.

Franciſcus ex L. B. Péterffy, Epiſcopus Pharenſis.

Jo. Fridericus Adolphus ex L. B. de Höerde, Epiſcopus Philopolitanus, & Suffraganeus Oſnabrugenſis.

Franciſcus Ignatius ex L. B. de Werdenſtein, Epiſcopus Tenedenſis, & Suffraganeus Friſingenſis.

Ferdinandus Joſephus ex S. R. I. Comitib. a Sarenthein, Epiſc. Hypſopolitanus, & Suffraganeus Brixinenſis.

Jo. Carolus ex S. R. I. Comitib. a Scherffenberg, Epiſc. Tanagrienſis, & Suffraganeus Olomucenſis.

Stephanus Nicolaus Jáklin de Elephant, Epiſc. Almiſienſis.

Ambrosius Simon de Stock, Præpositus infulatus S. Petri Viennæ, & Episcopus Rosonensis.

Franciscus Carolus ex S. R. I. Comitib. de Fugger, Episc. Domitiopolitanus, & Suffraganeus Constantiensis.

Adamus Ernestus ex L. B. de Bernclau, Episcopus Abylensis, & Suffraganeus Ratisbonensis.

Gabriel Ordódy, Episcopus Dulmensis.

Jo: Antonius Maria ex L. B. de Wolfframsdorff a Westkoreifsen, Episcopus Arethusanus, & Suffraganeus Ratisbonensis.

Matthias Hubert, Episcopus Vegliensis.

Jo: Mauritius de Strachwitz, Episcopus Tiberiadensis, & Suffraganeus Wratislaviensis.

Rodulphus Josephus ex S. R. I. Comitib. ab Edlingen, Episcopus Capharnaum, primus primi Archiepiscopi Goritiensis Suffraganeus.

Carolus Szalbek, Episcopus Nemesinus, & Suffraganeus Vaciensis.

Romedius Maria ex S. R. I. Comitib. de Sarenthein, Episcopus Augustopolitanus, & Suffraganeus Brixinensis.

Josephus Adamus Felix ex S. R. I. Comitib. ab Arcu, Episcopus Hipponensis, & Suffraganeus Pataviensis.

Franciscus ex Comitib. de Berchtoldt, Episc. Noviensis.

Sigismundus ex Comitibus Keglevicz, Episcopus Macariensis.

Franciscus ex Comitibus Kòrnis & Lib. Baronib. de Gönez Ruszka, Episcopus Juliopolitanus, & Suffraganeus Jaurinensis.

ABBATES ET PRÆPOSITI INSIGNIORES

ALIIQUE REGULARIUM SUMMI PRÆSIDES.

Jo. Georgius de Kalckenried ex Fussach, Ordinis S. Benedicti, Abbas Murbacensis & Lutrensis, S. R. I. Princeps.

Petrus Schönfelder, Ordinis Cisterciensis, Monasterii Lanckeimensis Abbas.

Joannes Zaicz, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, Prior Generalis LI.

Rodulphus Biell, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, Prior Generalis LII.

Christophorus Haertlin, Ordinis Præmonstratensis, Abbas Imperialis Minderaugensis. Aliquot Monasteria sui Ordinis reformavit.

Gaspar Brack, Ord. Cisterciensis, Monasterii Ebracensis Abbas Imperialis.

Bernardus Hertfelder, Ord. S. Benedicti, Abbas Imperialis ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindelicorum.

Joachimus e Comitibus S. R. I. a Graveneck in Burgberg, Ordinis S. Benedicti, Abbas Archi-Monasterii Fuldensis, S. R. I. Princeps, Primas Abbatum per Germaniam & Galliam, ac Romanorum Imperatricis Archi-Cancellarius.

Matthias Binder, Canonicus Regul. Præmonstratensis, Abbas Imperialis Sorethanus.

Petrus Heister, Ord. S. Benedicti, Congregationis Bursfeldensis, multis annis in aula Cæsaris Procurator, Monasterii B. M. V. Scotorum Viennæ Abbas.

Jo. Adolphus ab Hoheneck, Ordinis S. Benedicti, Abbas Archi-Monasterii Fuldensis, S. R. I. Princeps, Primas Abbatum per Germaniam & Galliam, ac Romanorum Imperatricis Archi-Cancellarius.

Uſwaldus Weis, Canonicus Regularis S. Auguſtini, Monaſterii Trifenſteinenſis Præpoſitus Infulatus.

Bonifacius Negele, Ordinis S. Benedicti, Abbas Cremiphanenſis.

Leonardus de Becke, Ordinis S. Benedicti, Abbas Abdinckofenſis.

Henricus Hulshorſt, Ord. S. Benedicti, Abbas Bursfeldenſis & Myndenſis.

Cornelius Strauch, Ordinis Ciſtercienſis, Abbas Campiliorum.

Benedictus Leis, Ordinis S. Benedicti, Abbas Mellicenſis.

Chriſtophorus Raſtlerus, Ordinis S. Benedicti, Monaſterii Zwyifaltenſis Abbas Imperialis.

Romanus de Giel ex L.B. a Gielsburg, Ord. S. Benedicti, Abbas S. R. I. Princeps Campidonenſis.

Blaſius Sarwei, Ordinis S. Benedicti, Abbas ad S. Blaſium in Silva Hercinia, S. R. I. Princeps.

Romanus Vogler, Ordinis S. Benedicti, Abbas ad S. Blaſium in Silva Hercinia, S. R. I. Princeps.

Ignatius Trauner ex S. R. I. Comitib. ab Altſtetten, Ord. S. Benedicti, Monaſterii S. Haimerani Ratisbonæ Abbas Imperialis.

Henricus Chriſtophorus ex L. B. de Wolffratnsdorff, Præpoſitus S. R. I. Princeps Elvacenſis.

Henricus Melchior Hùland, Ordinis S. Benedicti, Abbas Sigebergenſis.

Jo: Fridericus Karg, Abbas Infulatus ad S. Hurthardium in Gallia, & primus Miniſter Electoris Colonienſis.

Conſtantinus a Pùcl, Ord. S. Benedicti, Abbas Arnoldeſteinenſis.

Auguſtinus Finck Wolffachen, Ord. S. Benedicti, Abbas ad S. Blaſium in Silva Hercinia, S. R. I. Princeps.

Gaſpar Mallechich, Ord. S. Pauli primi Eremitæ, Prior Gene-

Generalis LXII., pietate, illuſtribus factis, libriſque editis magnum ſui Ordinis lumen.

Leopoldus Ilſung de Fratenberg, Canonicus Regularis S. Auguſtini, Abbas Infulatus ad S. Georgium Auguſtæ Vindelicorum.

Wilibaldus Popp, Ord. S. Benedicti, Monaſterii SS.Udalrici & Afræ Auguſtæ Vindelicorum Abbas Imperialis.

Auguſtinus Imhoff Canonicus Reg. S. Auguſtini, ad S. Crucem Auguſtæ Præpoſitus Infulatus.

Franciſcus Kröl, Canonicus Reg. S. Auguſtini, ad S. Florianum in Auſtria Præpoſitus Infulatus.

Adalbertus Norbertus Landtgraff, Canonicus Præmonſtratenſis, Plagæ in Auſtria Superiore Abbas Infulatus.

Coſtantinus ex Liberis Baronibus a Buttlar, Ordinis S. Benedicti, Abbas Archi-Monaſterii Fuldenſis, S.R.I. Princeps, Primas Abbatum per Germaniam & Galliam, ac Romanorum Imperatricis Archi-Cancellarius.

Stephanus Demſich, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, Prior Generalis LXVI.

Magnus Kleber, Canonicus Reg. Præmonſtratenſis, Abbas Imperialis Sorethanus.

Andreas Muſar, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, Prior Generalis LXVII.

Eugenius ex S. R. I. Comitib. ab Inzaghi, Ord. S.Benedicti, Abbas ad S. Lambertum in Superiore Stiria, & in Cellis Marianis.

Cæleſtinus Vogler, Ord. S. Benedicti, Abbas ad S. Blaſium in Silva Hercinia, S. R. I. Princeps.

Jo. Joſephus Kuon, Canonicus Regularis S. Auguſtini, Abbas ad S. Georgium Auguſtæ Vindelicorum.

Joachimus Waibel, Canonicus Regularis S. Auguſtini, Abbas ad S. Georgium Auguſtæ Vindelicorum.

Ste-

Stephanus Enroth, Ordinis Cifterciensis, Abbas Imperialis Salemitanus.

Josephus Maria Langenmantel, Ordinis S. Benedicti, Abbas Imperialis ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindelicorum.

Michael Balthassar ex S. R. I. Comitib. a Kristalnegg, Canonicus Regularis S. Augustini, Præpositus S. R. I. Princeps Berchtolsgadiensis.

Matthæus Gogl, Canonicus Regularis S. Augustini, ad S. Florianum in Austria Præpositus Infulatus.

Dominicus Lechner, Canonicus Regularis S. Augustini, Præpositus & Abbas Beurbergensis.

Paulus ex Comitibus Eszterházy, Ord. S. Pauli primi Eremitæ, Prior Generalis LXXIII.

Franciscus Xaverius ex Lib. Baronib. a Taufferer, Ordinis Cisterciensis, Abbas Infulatus ad B. M. V. Siticii.

PRINCIPES NATI
ALIIQUE GESTIS MUNERIBUS
VIRI CONSPICUI.

Jo. Carolus Marchio Baden, S. R. I. Princeps.

Bernardus Willhelmus Marchio Baden, S. R. I. Princeps.

Albertus Ernestus S. R. I. Comes a Wartenberg, e Septemvirali Domo Bavariæ.

Alexander Rodulphus ab Holstein, Dux hæreditarius Norvegiæ, Schleswiciæ, & Holsatiæ &c., Comes Oldenburgensis &c. Prælatus, Archidiaconus, & Custos Cathedralis Ecclesiæ Olomucensis, itemque Archidiaconus Cathedralis Wratislaviensis.

Laurentius Magnus Suecus, Sigismundi Sueciæ Principis Moderator.

Joan-

Joannes Bult, ejusdem Regii Principis a Secretis.

Hector Kotzaun, Decanus Bambergensis, Præpositus S. Jacobi ibidem, Canonicus Herbipolensis, & a Cubiculo Summi Pontificis.

Christophorus Strackwitz, Canonicus Wratislaviensis, & Episcopatus Administrator.

Franciscus de Requesens, Canonicus & Præpositus Cathedralium Olomucensis, & Wratislaviensis, atque eorumdem Episcopatuum Administrator. Ecclesiam S. Apollinaris hæredem scripsit, ubi etiam sepultus est, quum ultimos vitæ annos, dignitatibus amplissimis abdicatis, in Collegio transegisset. Obiit 6. Febr. 1662.

Jo. Hector Schad in Mettelbibrach, Præpositus Jecensis, & Episcopatus Patavienfis Administrator.

Jo.Fridericus Deutsch, Præpositus Cathedralis Halberstadiensis, ubi, sublato ob pacem Monasteriensem Episcopo Catholico, ipse Cleri fuit caput, & Catholicam Religionem solus sustentavit.

Franciscus Uratislaus de Mitrovicz, Sacræ Religionis Hierosolymitanæ Eques Commendatarius, a Sacro suæ Religionis Consilio ad Clementem X. Summum Pontificem Legatus missus.

Elias Castel, Canonicus Olomucensis, & Episcopatus Administrator nomine Archiducis Leopoldi Episcopi Olomucensis.

Joannes Henricus Pascha, Ferdinandi IV. Romanorum Regis Eleemosynarius.

Joannes Wenceslaus Zierowski, Canonicus Wratislaviensis, & Administrator Episcopatus.

Carolus Samuel de Butschki & Rotenfeld, Canonicus Wratislaviensis, & Episcopatus Administrator.

Guillelmus Adalbertus ex S. R. I. Comitib. de Kolowrat, Præpositus Olomucensis, & Episcopat. Administrator.

Fran-

Franciſcus Ludovicus Hartmannus a Waſſenberg L. B. de Ampringen, Ordinis Teutonici Magnus Magiſter, S. R. I. Princeps.

Franciſcus de Paula ex S. R. I. Comitib. ab Hrzan & Harras, Sacræ Romanæ Rotæ Auditor.

ALUMNI

PIETATE AC DOCTRINA ILLUSTRES.

Henricus Blyſſemius Soc. Jeſu, primus omnium in Collegio Germanico Laurea inſignitus, vir doctiſſimus, & Libris editis clarus.

Paulus Hoffaeus Soc. Jeſu, de re Catholica & opera & Libris editis, potiſſimum in Bavaria, optime meritus. Splendidiores præfecturas inter ſuos geſſit, & Romæ Aſſiſtens pro Germaniæ Provinciis fuit.

Hermannus Thyraeus Soc. Jeſu, Hæreticorum inſectator acerrimus, quos libris eruditis confutavit. Rexit plura Collegia, & totam Rheni Provinciam.

Stephanus Szánto (ſeu Arator), ingreſſus Societatem Jeſu, dicendo ſcribendoque hæreticos innumeros ad Catholicam Religionem traduxit. Heterodoxorum furore in exſilium pulſus, obiit Olumucii anno 1612.

Vitus Miletus, Canonicus Wratislavienſis, ſcripſit apologiam ſuam & Societatis contra hæreticos.

Balthaſſar Conigius, Iſnenſis Præpoſitus primum, deinde Canonicus Friſingenſis, tandem Landishuti Decanus & Parochus, ſemper & ubique de re Catholica optime meritus.

Juſtus Rab Cracovienſis Soc. Jeſu, ſtrenuus Religionis defenſor, cujus gratia multa pertulit, potiſſimum in Valachia. Aliquot ſcripſit libros, & Sigiſmundo Poloniæ Regi intimus fuit.

Joan-

Joannes Gibbonus, a Canonicatu Bonnensi ad Societatem Jesu transgressus, plura contra Calvinianos & Puritanos Angliæ docte scripsit.

Fabianus Quadrantinus Soc. Jesu, Concionator egregius. Prussiam magno labore & libris scriptis excoluit, Annæ Austriacæ Poloniæ Reginæ a sacris Concionibus & Confessionibus fuit.

Jacobus Myllerus, Constantiensis Diœcesis Visitator primum, deinde Ratisbonensis Vicarius Generalis, ad obitum usque magnam habuit opinionem virtutis.

Gerhardus Vossius, Præpositus Tungrensis, operibus Sanctorum Ephrem Syri, Gregorii Thaumaturgi, aliorumque Patrum in latinum versis & illustratis, apud doctos viros notissimus.

Joannes Ardulphus, in Suecia Missonarius. Scripsit Vindicias Collegii Germanici contra obtrectatores.

Victor Hoffman, eximiæ pietatis juvenis, rerum humanarum contemptor splendidus, ac miro in Deum amore succensus. Obiit in ipso Collegio anno 1575.

Georgius Gothardus, Canonicus Pataviensis. Volumen scripsit *De bonorum operum & Sacramentorum necessitate*.

Robertus Turnerus, Eloquentiæ Professor Ingolstadii, libris editis clarus.

Michael Eiselim Soc. Jesu, disputationibus editis de divina gratia celebris.

Nicolaus Eringius. Vix e Collegio egressus edidit reformatum Breviarium Trevirense.

Bartholomæus Laubichs.
Adamus Steinhalen, Canonicus Warmiensis.
Jacobus Holsten.
) Sigismundi Sueciæ Regis Theologi, illuc a Pontifice missi, quorum consilio Rex carere paterno regno maluit, quam fidem mutare.

Joannes Hueber Soc. Jesu. Complures Germanice scripsit libros de Dogmatica Theologia.

Georgius Witweiler Soc. Jeſu, Concionator eximius, & Scripturalibus, Catecheticis, atque hiſtoricis vulgatis libris clarus in paucis.

Jo: Henricus ab Heyden, nobiliſſimus adoleſcens, Canonicus Trevirenſis, ob eximiam pietatem cæleſtibus viſis, ut creditum eſt, dignatus. Sanctè obiit in ipſo Collegio, anno 1587.

Adamus Niſſelius Soc. Jeſu Novitius, ab animi demiſſione & abſtinentia laudatiſſimus.

Matthæus Schrick Soc. Jeſu. Librum edidit contra hæreticos, & vitam ſcripſit P. Michaelis Lauretani.

Guillelmus de Metternich Soc. Jeſu, intima cum Deo conjunctione, ardenti proximos juvandi ſtudio, & piis editis libris conſpicuus.

Erhardus Denſelius, Protonotarius Apoſtolicus, & Vicarius Bambergenſis. Integros hæreticorum pagos atque oppida ad Catholicam Fidem traduxit.

Willhelmus Veylhamer. Virorum principum gratia, & Eccleſiaſticis dignitatibus florens, provecta jam ætate ſeceſſit in Societatem Jeſu, in eaque pio exitu vitam clauſit.

Joannes Isfording Soc. Jeſu, linguarum peritia, libris editis, & virtutibus non vulgaribus commendatus.

Jo: Chriſtophorus ex Lib. Baronib. a Neuſtetter, Decanus Bambergenſis, & ibidem Præpoſitus ad S. Wolffgangum. Ter in Epiſcopum electus, ter in Capitulo Epiſcopatum reſpuit.

Petrus Gebauver electus in Epiſcopum Wratislavienſem, Epiſcopatum Ferdinando Carolo Poloniæ Regis fratri ultro ceſſit. Obiit ſanctiſſime poſt multa egregie facta ad utilitatem Eccleſiæ.

Jacobus Caniſius Soc. Jeſu, caritate in proximum, & libris contra hæreticos conſcriptis, Patrui ſui Ven. Petri Caniſii imitator egregius. Mel-

Jo. Lorch, Decanus Wratislaviensis, & Præpositus Nissensis. Catholicæ Religionis promovendæ studio, largos, perpetuosque ære suo statuit reditus, quibus juvenes ad veræ Ecclesiæ sinum venientes sustentarentur.

Melchior Inchoffer Soc. Jesu, vir multiplici doctrina, pluribusque libris in lucem editis notus.

Mathias Faber Soc. Jesu, Concionator insignis. Concionum tria edidit volumina, & alia quædam.

Wolffgangus a Gravenögg Soc. Jesu, insigni vir sanctimonia, magna in primis vitæ austeritate, & erga proximos caritate.

Jo. Adamus Schallus Soc. Jesu, apud Sinarum Imperatorem Tribunalis Mathematici supremus Præfectus. Christi fidem Apostolicis laboribus, & libris editis in eo Regno propagavit; pro eaque carceres ac vincula perpessus est.

Martinus Steineckh Ord. S. Benedicti ad S. Blasium in Silva Hercinia. Obiit cum insigni fama sanctitatis.

Andreas Fornerus, Canonicus Herbipolensis, vir doctus & studio Religionis flagrans. Multa contra hæreticos erudite scripsit.

Andreas Tablerus Ord. S. Pauli primi Eremitæ, vitæ innocentia, Cælitum consortio, doctrina infusa, aliisque supernis donis ita spectatus, ut Beati nuncupationem obtineat in Hungaria.

Leonardus Creder Soc. Jesu, concionandi facultate inter Oratores sui temporis excellens, libris ex Hispanico latine redditis de re ascetica optime meritus.

Fridericus Veylhamer Soc. Jesu. Tridenti decessit magna cum opinione sanctitatis.

Jo. Fridericus Queller Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, vir omnium testimonio sanctus, atque instar Cælitum vulgo invocatus in Hungaria.

Michaël Haim, Parochus in Ducatu Neoburgensi, ubi multos ad catholicam fidem pertraxit.
Cyprianus Hohperger Ord. S. Pauli primi Eremitæ, vir modestia, pietate, abstinentia singulari, nunquam otiosus, in procuranda animarum salute indefessus.
Georgius Emericus Nagy Ord. S. Pauli primi Eremitæ, sanctitate vitæ, pluribusque in suo Ordine gestis muneribus clarissimus.
Eusebius ex Comitibus & Dapiferis hæreditariis S. R. I. de Truchses, Societatem Jesu ingressus, cum pietate non vulgari parem junxit doctrinam. Libros Philosophicos & Theologicos edidit, & Assistens pro Germania Romæ fuit.
Ferdinandus Grieskircher Ord. S. Pauli primi Eremitæ, Scriptor egregius.
Petrus Bolla Ordinis S. Pauli primi Eremitæ. Elegias & Epigrammata sacra typis edidit.
Jo.Franciscus Fluske, officio Parochus, inter Hæreticos utiliter laboravit, ex iisque complures ad catholicam fidem traduxit.
Richardus Heydinger, Canonicus Regularis Lateranensis ad S. Florianum. Recusata Infula, quam ei Canonici unanimi suffragio obtulerant, eximiis tantum virtutibus inter suos clarere maluit, bene alioqui meritus de suo Cœnobio.
Augustinus Bolla Ord. S. Pauli primi Eremitæ. Apostolicis laboribus in Hungaria plurimum desudavit.
Petrus Ignatius S. R. I. Comes a Strasoldo, tanta animi demissione vir, ut indignum se putaverit Sacerdotio. Itaque vita pie sancteque traducta, in bona senectute Diaconus obiit.
Marquardus Hergott, Ord. S. Benedicti ad S. Blasium in Silva Hercinia. Historiam Augustæ Familiæ Austriacæ conscripsit.
Hen-

Valterus ex Lib. Baronib. de Voigt, Ord. S. Benedicti ad Sinum Salvatorem Fuldæ. Magnam moriens sanctitatis famam reliquit.

ALUMNI
VEL PRO FIDE OCCISI
VEL IN OFFICIO CARITATIS EXSTINCTI.

Martinus Weinreichius, Catholici Dogmatis defensor strenuus, in obsequio tabidorum exstinctus.

Fridericus Bartscius Prutenus Soc. Jesu, Theologica doctrina, libris scriptis, eximiis virtutibus clarus, & Sigismundo III. Poloniæ Regi a sacris Confessionibus, quem secutus in Moscovitica expeditione, dum milites contagio laborantes sedulo procurat, eodem morbo correptus occubuit.

Gualterius Belius, Ecclesiæ Curiensis Decanus, lue sæviente in officio caritatis exstinctus.

Robertus Jansonus, ab Hæreticis in Anglia interfectus.

Joannes Goffinus Villarius, in territorio Leodiensi Parochus, in odium fidei interemptus.

Leo Hoffman, Præpositus Badensis. Propter Catholicam Fidem carceri mancipatus, in eodem occubuit.

Marcus Stephanus Crisinus, Canonicus Strigoniensis, Cassoviæ a Calvinistis crudelissime interfectus.

Joannes Reubi, peste laborantibus in Suevia deserviens, obiit.

Josephus Matthæus Mercklinger Argentoratensis. Per annos 25. Fidem Catholicam contra Lutheranos acerrime in patria propugnavit, ac pro eadem in carceribus detentus interiit.

Elias Françiscus Mayer. Viennæ in contagiosorum obsequio victima caritatis cecidit.

An-

Andreas Peczi, in Hungaria peste sublatus, dum ea lue laborantibus impigre deserviret.

Joannes Kapronczay, Parochus Nitriensis, dum Catholicæ Fidei propagandæ operam navat, ab hæreticis veneno sublatus.

Petrus Tarli, Parochus ad S. Nicolaum Sárváriensem. Grassante pestilentia, ex ægrotorum quibus subserviebat attactu tabem hausit, ac pie decessit.

Joannes Sellei, Parochus ad Tyrnaviam, in odium fidei a Turcis capite obtruncatus.

Petrus Parrady, Canonicus Posoniensis, in Hungaria a rebellibus hæreticis occisus.

Stephanus Dobys, Canonicus Strigoniensis, in odium fidei crudelissime necatus.

Christianus Otterstetter Ordinis Cisterciensis, ab hæreticis per medium dissectus.

Stephanus Jósa, in Hungaria Fidei causa trucidatus.

Jacobus Szalay, dum peste infectis sacra ministraret, eadem vi morbi sublatus.

Stephanus Stanislaus Györffy, in eodem caritatis officio exstinctus.

Petrus Gnad, Ord. S. Pauli primi Eremitæ Missionarius. Ex eadem causa idem mortis genus oppetiit.

Franciscus Miho, curam tabidorum gerens, contracta peste gloriosus occubuit.

Joannes Gellert, cum peste laborantibus sacramenta ministraret, palmam eamdem abstulit.

Joannes Palugyay, dum lue correptis opem ferret, Galgoczii in Hungaria absumptus.

INDEX RERUM.

A

Can-

Can-

D

Go-

de

ERRATA		sic CORRIGENDA.
Pag. 10.	ter mille sexaginta	ter mille quingentos sexaginta
44.	Ego Jac. Episcopus	Ego Jo. Episcopus
55.	huminis	hominis
56.	omina	omnia
58.	se vita	si vita
60.	mille trecentos	mille ducentos
63.	cuircuire	circuire
70.	maxima laboriosa	maxime laboriosa
102.	Miletus Svecus	Miletus Svevus
136:	Joannem Telezium	Joannem Teleczium, & sic deinceps
138.	corre	corde
ibid.	biennii spatio	bienni spatio
139.	Pauloccius	Paulouschius
ibid.	eblandari	eblandiri
ibid.	n. 98. Ei veneficii	Et veneficii
193	Ludovicus	Paulus